



11. 27



H

CANTICVM CANTICORVM SALOMONIS VERSIBVS ET COMMENTARIIS illuſtratum.

Gilb. Genebrardo Theologo Pariſienſi, Profeſſore Regio Auctore.

Aduerſus Trochaïcam Theodori Bezæ Paraphraſim.

Subiuncti ſunt trium Rabbinorum Salomonis Iarhij, Abrahami Abben Ezræ, & innominati cuiuſdam Commentarij, eodem Interprete.



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

PARISIIS,
Apud Ægidium Gorbinum, ſub ſigno Spei, è regione Collegij Cameracenſis.
1585.

Domus [illegible]



D. FRANCISCO IOYEVSEO S. R. E. CARDINALI G. Genebrardus Theol. Parisiensis Diuinarum Hebraïcarúmque Professor Regius.



VONIAM hoc anno Geneua impurißime, & vt Bezā primarium eius ministrū decuit, Cantici Canticorum Salomonis tractauit argumentum, Cardinalis ornatißime, mihi visum est illud suæ puritati & integritati restituere, & castioribus formulis publico exponere, ne Psychici coaceruatis sibi magistris ad aures prurientibus, cum Chærea Terentiano sibi rectè ratiocinari videātur, suis tabulis celebrasse Sponsos mollicellos & omni amandi artificio & pellacia instructos

» Deum, qui templa cœli summa sonitu concutit,

» Et hoc homuncio non facerct sui exemplo numinis.

Indéque libidinandi & lasciuiendi documēta arripiāt, vnde debent præcepta castè pudicè, cōtinenter, tēperatè cogitādi & viuēdi sumere. Et sane istos oportet penitus esse ἀπηλγηκότας, qui quod à Spiritu Sācto sanctè est propositū, sanctiùs explicatū, sanctissimè cōceptū de Sancta Christi & Ecclesiæ cōiunctione, cōtra tam sancti Auctoris mentem & cōsilium ad profani & impuri amoris argumenta rapiunt. Quod quia prolixè deploramus nostra ad Ministros epistola, ne te pluribus moremur, quid hîc moliamur paucis accipe. Primum prosa & versu hoc Salomonis opusculum proponimus, vt alterū alteri maiorem lucem afferat, vtrumque verò Geneuam. quæ nuper Bezanam istam editionem in vulgus protulit, deinceps sanctius de hoc poëmate sentire, castioribus verbis illud enunciare, purioribus animi sensis concipere, paraphrasi diuiniore repræsentare doceat. Deinde genus carminis, id est, versus Trochaicos Dimetros Catalecticos, quibus iste non Salomonem & Salomoniam siue non Dominum & Ecclesiam, sed se & pellicem aliquā cecinit, Iambicis Dimetris Acatalectis commutamus, partim vt minus cum isto concurramus, partim vt Christianos poëtas veteres æmulemur, qui carmina huius dimensionis, sacræ Lyræ, & cantui apprime congruere iam olim existimarunt. Præterea quoniam commentaria tum literā tum Spi-

ritum satis fusè explanantia adiicimus, in illísque sequimur methodum à nobis in Psalmos Dauidicos cœptam, & multis viris bonis & eruditis, seorsum D. Lindano Ruremundēsi Episc. M. Antonio Mureto I. C. ac Ciui R. quorum eruditioni & iudicio omnes sapientes plurimum tribuūt, suis ad me literis probatā, hæc erit particula Scripturæ, quam vniuersam instituimus, Deo Duce, commentariis ad natiuum sensum accommodatis illuminare, vt nos fide Proëmio nostrorum Psalmorum consignata paulatim liberemus, vtque istorum farragines vtrumque testamentum fœdè corrumpentes, de vulgi manibus excutiamus. Postremo, vt istos, qui Christiano nomine censeri contra omne ius cupiunt, & Iudæos cæcum ac perditum hominū *genus vocant & inscribūt, quando ipsorum factiones, hæreses, impietates labefactant,* Intelligens & eruditum, *quādo nouas & parum Christianas Scripturarum interpretationes, ipsorum stigmaticis animis cōgruentes afferunt, quanquam id rarius faciunt, quemadmodum alibi docemus, ita prouidente Spiritu Sancto, vt hæretici cunctorum, & quidem impiorum, præiudicio damnētur, ac mundo innotescant: vt istos inquam vehementius suæ impudicitiæ pudeat, (vtinam etiam pœniteat) subiicimus nostra ex Hebræo conuersione Perushim siue expositiones trium Rabbinorum, quos constat lite-*

ræ & cortici fuisse addictissimos, quosque Iudæi reliqui magis habent pro Grammaticis, quàm Theologis. Et hi tamẽ nihil in hoc opusculo reperiunt, quod non Spiritum mirè resipiat, quod non singulare aliquod Dei in Ecclesiam beneficium commendet, ac eos detestantur, qui illud dicunt לטיף ורים*, inquinare manus. Ne attingã fructũ, quem ex eo copiosè percipere debemus, quòd minutias grammaticas & literæ vim optimè interpretantur, prout Grammaticos, Historicos, Philosophos, suæ gentilitatis, antiquitatis, iuris, legis, linguæ, sapiẽtiæ, traditionum, id est, Cabbalæ & Masoreth peritissimos decet. Hoc autẽ ad te mitto, tuæque amplitudini addico, non solum quia te nostra scripta afficiunt, verum etiam quia sacras literas diligis, illarũ puros & orthodoxos interpretes complecteris, te ad earum notitiam magna animi contẽtione quotidie adornas. Vt te præterea ad Theologicum studium magis ac magis accẽdam, sine quo Cardinalatus, summus in Ecclesia honos, ad quẽ nuper, in virtutis & doctrinæ spẽ, à Greg. 13. Pont. Max. euectus es, inanis est titul⁹, nec regulis Apostolicis cõsonat. Faxit Deus omnipotens, vt te perpetuo diuinis gratiis & virtutibus auctum, atque in gratia & cognitione Domini nostri & verbi ipsius crescentem, cernamus. Vale. è nostro Musæo, Lutetiæ, Nonis Decembribus. 1584.*


AD LECTOREM IACOBI *Estourneau Canonici & Ecclesiastis Ambianensis de hoc opere Epigramma.*

Quisquis adest Lector diuino captus amore,
Hunc legat,& lecto gaudeat ipse libro.
Namque illum clarè,posito velamine, cernes,
Quem Salomon miris texerat inuolucris.
Nosse cupis Christum & Sponsam quæ vincula nectant?
Hæc velut in speculo pagina sacra refert.
Isacidis quondam tenebrosi limina vatis
Tangere non licuit:(tam citò fallit amor.)
Nunc lege securus, iam nulla pericula subsunt,
Si modò tu scopulos,hoc duce, nosse velis.
Hebræi latices quem non fecere disertum?
Hic autem Hebræis fontibus haurit aquam.
Adde & priscorum flores cum pondere lectos:
Sic(credo)cœptum nil remoratur iter.
Hunc igitur cantum nunc perlege tutus vbique:
Flagrabítque sacro pectus amore tuum.

AD ERVDITISSIMVM
ET FIDEI CATHOLICÆ PROpugnatorem acerrimum D. Genebrardum Theolog. Professs. Reg. linguæ Hebraicæ, Iacobi de Cueilly Theol.

HEXASTICHON.

More suo lasciua facit, castissima quæ sunt,
Beza, sed hoc castè tu Genebrarde canis.
Ille senex flammas iuueniles excitat, at non
Virginei verbi non meminisse potes.
Debuerat reducem Salomonem Beza referre,
Sed mores primos dedidicisse graue est.



AD MINISTROS GENEVENSES,

Gilb. Genebrardus, Theologus & Professor Regius.



SEMVRI Mandubiorum, quo me proxima æstate contuleram, partim vt vbi publicæ occupationes assiduum esse non sinunt, Prioratui cui præfectus sum, aliquam anni partem darem: partim vt meos amicos, quos illic habeo plurimos & integerrimos, viserē, meque ipsum paulo ante è diuturno quartanæ morbo recreatum mutatione auræ plenè confirmarem, mihi Feureus patronus multis rebus ornatus libellulum Theodori Bezæ Canticum canticorum Salomonis versibus Trochaïcis Dimetris Catalecticis prætexentem obtulit. Legi, relegi, intellexi, & miratus sum tam pusillum corpus, trium foliorum, tot scatere verrucis. Quæ cùm me vehemen-

ter offenderint (Nam iuxta vetus verbum, & quidem paganum, Amo verecũdiam) indéque plærosque vestri gregis offendere intellexerim, nihil potius duxi, quàm vt vos literis conuenirem, tranquillitatis publicæ amicissimos, ac vobis scandali nostri causas simplicissimè aperirem, cui vos solos putaui, Christiana aliqua charitate & zelo posse & velle occurrere, quòd is, qui aliò longè nostras mentes & cogitationes abripere, ab amoribus castis ad profanas Veneres traducere, sanctam Christi sponsam in aulicam Pellicem transformare, purum auctoris sensum multis locis peruertere conatus est, nũquam se ad puriora subsellia pertrahi passurus sit. Ad vos igitur, qui vobis de puritate religionis & morum, censuram sumitis, tanquam actor Rei forum sequens, omne iudicium defero. Verum videte, in ferenda sententia ne per gratiam, vllam nomini vestro notam nefariæ turpitudinis inuratis, date operam ne quid Resp. detrimenti, ne quid impuritatis capiat. De re enim agitur quæ vobis vel perpetuam ignominiam, vel sempiternam laudem conciliatura sit. Nam nunc quæritur, quoniam Salomon Bucolica pulchræ Sponsæ parabola vniuersæ Ecclesiæ corpus describit, membris pulchris

& elegantibus constans, quadam ad speciosum corpus humanum proportione, sintne omnia hîc castè & sanctè vt concipienda, ita etiam enuntianda, an amatorio poëtarum stylo, sintne ad corpus Christi mysticum transferēda, an vt corpus aliquod profanum tractanda, sintne ad interiorem hominem traducenda, an ad exteriorem reuocanda. Nam hæc ita Beza explicauit, vt nullus Spiritui locus relictus esse videatur. Vestro iudicio iste, opinor, stabit, vt sua vel corrigat, vel obruat, siue vacillantis suæ ætatis miseratione, siue perpetua erga vestrum ordinem voluntate & obseruantia, quem non audet puritatis magistrum ministrúmque diffiteri. Quæ ergo & quanta nos offendant æquis auribus accipite, & æquioribus animis expendite.

Primùm valdè indignamur, quòd Sponsam verbis è media amandi arte, & lasciua impudicorum poëtarum licentia sumptis descripserit, ac in Amasiam Palatinam trāsformauerit.

Cap. 1. vers. 15. pag. 9. Ecce tu bellissima — Descriptio Sponsæ Bezana.
His columbæ prædita
Bellulis ocellulis.

Cap.4. vers.1. pag.19. Ecce tu bellissima
His columbæ prædita
Pætulis ocellulis.
Hinc & inde pendulis
Crispulis cincinnulis.

Quale nos mollissimo
Eminus pilo pecus
Conspicamur saltibus,
Talis est tibi coma
Mollicella, Crispula.

Quale punici rubent
vers.3. Mali hiantis granula,
pag.20. Tale quiddam *crispulæ*
Inter emicat comæ
Tortiles cincinnulos.

callida

vers.9. Altero me *pætulo*
pag.20. Contuens ocellulo..
Alterum *ceruiculæ*,&c.

c.5. ver.1. & 2. Hisce me quam blandulis
pag.25. Vnicè charus mihi

Excitauit *voculis*,
Tu mea ô *ſororcula*,
Tu mea ô *columbula*.

c.6. verſ.5. pag.32. *Ah amabo* flammeos
Hos ocellos paululum
In latus deflectito
Ferre quorum fulgidas
Haud potis ſum *flammulas*.

& mox,
Mollicella, criſpula.

c.7. verſ.1. pag.36. Quàm tui ſunt *belluli*,
Quàm tui nitentibus
Calceis *venuſtuli*
Sunt pedes.

Vmbiliculus
Verſ.2. pag.37. Eſt tibi rotundulus.

Verſ.4. p.eadem. *Lactea hæc ceruicula*
Turris eſt eburnea,
Hæc tuæ *pupillulæ*
Vitreæ ſunt piſcinæ.

verſ.8. *Pupillulas*
pag.39. Ceu botros exſugere.

verſ.10. Vnicum te reſpicit
pag.40. Iſtud omne *corculum*.

Tranſilio locos, quibus eam *feſſulam, venuſtulam,* blandimentiſque aliis ludicram & iocularem reddidit. Hæc enim omnia, vt vt ſenilia, iuuenilibus cōſonant, quæ iam olim cecinit In fibulā Cādidæ, pag.52. mei exemplaris, In oculos, mā mas, labra, genas, pupillulas eiuſdem, pag. ſequēti, In pedem pag.54. In baſium pag.58. In comā pag.60.

SECVNDO ſtomachamur, quòd Chriſtum in procum prurientem, impotentem, laſciuientem, amaſiæ inhiantem indigne mutauerit.

Bezana Chriſti loquentis Hypotypoſis.

Cap.1. At tu *meum corculum.*
v.7.p.6. Meque *blandis* intuens
Cap.2. Per clathros *ocellulis*
verſ.10. His ſalutat *voculis.*
pag.12. Heus adeſdum *amicula*
Heus adeſdum B*ellula.*

verſ.14. Heus adeſdum *bellula*
pag.13.

Heus adeſdum *amicula,*
Heus mea ô *columbula.*
p.14. Fac loquentis audiam
Expetitam *voculam,*
Mira nanque ſuauitas
His ſedet *labellulis.*
Mira nam *venuſtuli*
Huius oris dignitas.

Cap. 4. verſ. 9. pag. 22. Sponſa tu memet mihi
Surpuiſti callida,
Altero me *pætulo*
Contuens *ocellulo.*
Alterum *ceruiculæ*
Dum mihi vertis latus.

Sponſo hinc capite quinto attribuit

Criſpulæ nodos comæ,
C. 5. V. 10. 11. 12. pag. 28. *Pætulos ocellulos,*
Lacteo *pupillulis*
Irrigatis aluco.
Criſpulæ lanuginis
Hinc & inde flocculos.

Quamuis à poëta, & quidem profano scriptum sit,

Sint procul à nobis iuuenes, vt fœmina, compti.

TERTIO diminutiuè enuntiat, quæ ne per Superlationis quidem gradum satis potuisset exprimere, adeò vt tantæ sponsæ, captatione Venereorum vocabulorũ, mysteria, arcanas laudes & ornamenta minuat ac eleuet. Nam verbi gratia *Bellulam* dicit, quæ bellissima est, *Venustulam*, quæ venustissima, *Amiculam*, quæ amicissima, *Columbulam*, quæ quantum ad rem significatam est colũba perfectissima, *Fessulam*, quæ ferendis hæreticorum aliorúmque impiorum iniuriis tota est defessa, *Corculum*, quæ cor habet patentissimum & latissimum. Ei tribuit *pætulos ocellulos*, cui sunt oculi castissimi, apertissimi, & perspicacissimi, *Cincinnulos crispulos*, cui sunt porrectissimi, simplicissimi, nulláque arte deprauati, *Sinum tenellulum*, cui est solidissimus. Quod autem est profanius *Reculas* vocat magnum illud de Gentium extremarum ad Euangelium vocatione mysterium.

E quid sororulæ
Cap.8. Paruulæ præstabimus,
vers.8. Ipsius de *reculis*,
pag.44. Quando fiet mentio.

VBI recordor Atheorum, qui ἀθεότητα Peccatuli vocabulo afficiunt. Nam iste è conuerso salutis & gloriæ Euangeliũ Gentibus vltimis prædicandum, Reculas appellat, quibus rebus interim nullæ sunt maiores, nullæ grauiores, nullæ pretiosiores. Si sibi obtendit vnum aut alterum locum Apostolorum, quibus suos discipulos filiolos appellãt, quasi vis dilectionis tale blandimentum ab illis extorserit, Primũ illis locis nulla prorsus est de amoribus suspitio. Deinde quod semel atque iterũ & quasi raptim dictum est & in vnico vocabulo factum, non debet trahi in consequẽtiam, & promiscuè ad omnia extendi, faceréque potestatẽ vsurpandi, publicandi, fingendi è quolibet diminutiua blanda, mollia & illecebrarũ plena. Denique istis paucis locis in nostra sententia firmamur. Nam filiolos appellant non blandiendo, sed perstringẽdo, quoniam illos ritè filios appellare non poterant, qui essent Neophyti, tenelli in fide, egentes la-

Quamuis à poëta, & quidem profano ſcriptum ſit,

Sint procul à nobis iuuenes, vt fœmina, compti.

Tertiò diminutiuè enuntiat, quæ ne per Superlationis quidem gradum ſatis potuiſſet exprimere, adeò vt tantæ ſponſæ, captatione Venereorum vocabulorũ, myſteria, arcanas laudes & ornamenta minuat ac eleuet. Nam verbi gratia *Bellulam* dicit, quæ belliſſima eſt, *Venuſtulam*, quæ venuſtiſſima, *Amiculam*, quæ amiciſſima, *Columbulam*, quæ quantum ad rem ſignificatam eſt colũba perfectiſſima, *Feſſulam*, quæ ferendis hæreticorum aliorúmque impiorum iniuriis tota eſt defeſſa, *Corculum*, quæ cor habet patentiſſimum & latiſſimum. Ei tribuit *pætulos ocellulos*, cui ſunt oculi caſtiſſimi, apertiſſimi, & perſpicaciſſimi, *Cincinnulos criſpulos*, cui ſunt porrectiſſimi, ſimpliciſſimi, nulláque arte deprauati, *Sinum tenellulum*, cui eſt ſolidiſſimus. Quod autem eſt profanius *Reculas* vocat magnum illud de Gentium extremarum ad Euangelium vocatione myſterium.

E quid sororulæ
Cap. 8. Paruulæ præstabimus,
vers. 8. Ipsius de reculis,
pag. 44. Quando fiet mentio.

VBI recordor Atheorum, qui ἀθεότητα Peccatuli vocabulo afficiunt. Nam iste è conuerso salutis & gloriæ Euangeliũ Gentibus vltimis prædicandum, Reculas appellat, quibus rebus interim nullæ sunt maiores, nullæ grauiores, nullæ pretiosiores. Si sibi obtendit vnum aut alterum locum Apostolorum, quibus suos discipulos filiolos appellãt, quasi vis dilectionis tale blandimentum ab illis extorserit, Primũ illis locis nulla prorsus est de amoribus suspitio. Deinde quod semel atque iterũ & quasi raptim dictum est & in vnico vocabulo factum, non debet trahi in consequẽtiam, & promiscuè ad omnia extendi, facereque potestatẽ vsurpandi, publicandi, fingendi è quolibet diminutiua blanda, mollia & illecebrarũ plena. Denique istis paucis locis in nostra sententia firmamur. Nam filiolos appellant non blandiendo, sed perstringẽdo, quoniam illos ritè filios appellare non poterant, qui essent Neophyti, tenelli in fide, egentes la-

ctꝭo non ſolido cibo, cerei ad flexum, quaſi modo geniti infantes, lactis indigi, vt paſſim illi cõquerũtur. Hinc illud Pauli Gal. 4. filioli, quos iterum parturio. Quid eos opus erat iterum parturire, ſi ſemel perfectè & ſolidè fuiſſent parti & procreati. Vix erant geniti, quia quauis occaſione ſiue Iudæorum, ſiue Gẽtilium, ſiue hæreticorũ, cibum ſibi ab Apoſtolis porrectum, vel reiiciebãt, vel retinere & ſeriò concoquere non poterant. Iam filium vocat Timotheũ, Tu ergo, inquit, fili mi confortare, in gratia Chriſti, firmus enim erat, ſolidus, perfectus, animo ad martyrium parato.

QVARTÒ, vt minuit & extenuat quæ erant exaggeranda, ita è conuerſo exaggerat, quæ erant potiùs minuenda vel reticenda, vt quum vmbilicũ Sponſæ ait eſſe *rotundulum*, quum *labella* Sponſi *ſemihiulca*, quum pilum pecoris Galadini *molliſſimum*, quem ad comæ myſterium ſatis erat feciſſe nitidum, ſanum & integrum abſque vlla prurigine & ſordibus, niſi quòd mollitiem perpetuò requirit in fœminis. Deinde quàm ridiculo epitheto labella Sponſi vocat ſemihiulca.

QVINTÒ, quis ferat epitheta profana, mollia & effœminata tam caſtis, generoſis,

& virilibus ſponſis affingi. Quoniam iſte mollitiem, modos fractos & elumbes probat in ſua Candida, nempe *criſpulos cincinnulos, mollicellam comam, mammulas lacteas, pætulos ocellulos*, ſiue hircinos, *vmbiliculum rotūdulum, &c.* talia Spōſæ Chriſti aſſignat, quum contrà Salomon non mulierem, ſed viraginem, non mollem, ſiue vt iſte garrit Catulliano quidem vocabulo, at nihil ad myſteria commodo, mollicellam, ſed generoſam, ſed fortem deſcribat. Membra eius non delicatula, non mollicula, non eneruata, ſed valida, ſed firma, ſed caſta. Capitibus quarto & ſexto oculos eius Columbinis, qui ſunt pudentiſſimi & caſtiſſimi comparat. Capillos pilis caprarum ouiúmque Galadinarum, nitidiſſimis quidem, at firmiſſimis tamen, nec defluentibus. Dentes, dentibus pecorum ruminantium, facile pabula, quātumuis arida, comminuentibus. Collum validiſſimæ Dauidis turri, vbera vino ad roborandos etiam prouectiſſimos efficaciſſimo. Quid in huiuſmodi obteſtor oróque notatis mollitiei, quid criſpitudinis, quid fuci?

SEXTÒ, an non ſaltem Sponſo Domino & Saluatori noſtro debuit parcere? Atqui quia amauit in ſuo Audeberto *corculum*,

crispulæ nodos comæ, *pætulos ocellulos, pupillulas, crispulæ lanuginis flocculos, pellaciam, labella semihiulca, formosulum amorem*, isthæc omnia sponso ascribit, non solùm contra historiæ de forma Christi veritatē, verùm etiam aduersus Salomonis nostri musicam atque concentum.

SEPTIMÒ, cum toto hoc opusculo scriptura Latina semel duntaxat diminutiuum vsurparit *vulpeculas*, & Hebraïca ibi duntaxat & semel capite octauo diminutionis notam קטן adhibuerit, cur hîc vbique Diminutiuorum tam fuit Beza prodigus? cur ingenij sui poëtici opes in isthęc partim è libris amatoriis deriuanda, partim è suo genio fingenda effudit? Si respondetis argumentum hoc postulasse, vel versum, insto. Argumentum nulli melius fuit notū, quàm vel Salomoni, vel Spiritui Sancto, qui Salomonis linguæ insederat. At hi illud expresserunt vocabulis alterius generis. Si versum, ego & aliquot alij versibus illud reddere conati sumus, & quidem, ni fallor, rectioribus & ad sententiam accommodatioribus, & tamen ferè abstinuimus omnes, his loquendi formulis, tanquam nimiùm effœminatis & mollibus, ne dicam pruriētibus, sicque ostendimus deinceps præstantiores

poëtas hoc cãtici genus metris melioribus, Latinioribus, magis Lyricis posse tractare.

OCTAVÒ, in Sebastiano Castalione reprehendit, quòd suis Bibliis profana & pagana vocabula in Christianam coloniam inuehere conatus sit, pessimíque exempli docuit, *Genium* pro Angelo, *Fanum* pro Templo, *Fertum* pro oblatione, *Solidum* pro holocausto, *Ioua* pro Deo, aliáque eiusmodi pro sacris & Christianis substituere; cur igitur nunc hoc iste in se fert, finit, patitur? Cur Columbinos oculos *pætulis* siue *hircinis*, desiderabilẽ *Pellacia*, formosam *bellula*, &c. parum pudicè commutat? Cur hìc permutationem Glauci & Diomedis probat, alibi vituperat? Cur olim Castalionem eam ob causam vexatum hodie recreat, olim prostratum hodie erigit, cui viuo insultauit cur mortuo puluillos consuit?

NONÒ, cum veteres Hebræi à lectione huius libri promiscuos Theologos, nedum populares, excluserint, quum poëtas & alios literatos humanioribus dũtaxat artibus excultos procul hinc abesse iusserint, cum illius mysterium in vulgus indicare nefas duxerint, cur omnes iste promiscuè non modo admittit, verùm etiam vltro accersit, vocat, inuitat, conditis & vulgatis carminibus pru-

rientibus, titillantibus, nihil è Theologica pudicitia olentibus, vt illa iam non habeat dicere profecta à vetulo habente corpus emortuum, & ad canos suos respectante, sed à ferociente quodam animante propter carnis ignes & aculeos, cæco Cupidinis furore rapto & exagitato. Comperta vobis est veterum Hebræorum traditio, quam & Origenes & Hieronymus laudarunt ac in sua scripta retulerunt. Moneo, ait Origenes, & consilium do, omnibus, qui nondum carnis & sanguinis molestiis carent, neque ab affectu naturæ materialis abscedunt, vt à lectione libelli huius, corúmque quæ in ipso dicentur, penitus temperet. Aiunt enim obseruari etiam apud Hebræos, quòd nisi quis ad ætatem perfectam maturámque peruenerit, libellum hūc, ne quidem in manibus teneret permittatur.

Hier. prolog. in Ezech.
Orig. præf. in hunc librum.

DECIMÒ, peruertit multis locis Auctoris sententiam, pluribus deprauauit literam, plurimis ad alienissimos sensus detorsit, & contra Spiritum Sanctum rapuit, vt perpetuò cōstet, quod sæpe cōquestus sum, istum esse sanctæ linguæ ignarissimum, nec de ea balbutire, nisi è vestris dictatis perperam exceptis, nisi id improbitati potiùs tribuendum censetis. Quoniam autem vtrumque

liquet, & huius rei creberrima præbuit argu menta,an non ei omni tractatione Scripturarum interdicere, & ab eo Legis, quã Castalioni vertenti Biblia pro suo Dictatoris imperio posuit, obseruationem exigere debetis. Nemo nisi quatuor minimùm lingua- „ rum bene peritus, Hebraïcæ videlicet & „ Græcæ, itémq; Latinæ & Gallicæ ad sacras „ literas interpretandas accedito. Nam sanè „ quàm perfidè propter linguæ sanctæ inscitiam obscuriora pene omnia interpretetur, id ex vnico loco, haud admodum difficili, planum faciam. Hæc capitis septimi Hebraïca , ודלת ראשך כארמן מלך אסור. כרהטים sic interpretatur,

Fulgidam mitra comam
c.7. v.5. p.38. Purpurante splendida,
Regis in te lumina
Versa quæ sic detinent,
Vt suæ solario
Alligaris regiæ.

VBI quamuis valde obscurum sit, quo pertineat relatiuum *Quæ*, nihil nisi ineptum colligatis, Spõsam videlicet regiæ suæ solario, vel Sponsum, vel

ſponſi lumina ſiue oculos ad ſe cõtemplandum alligaſſe, quadam ad Iouis fabulam alluſione, qui per impluuium, ſinum Danaës turri ferreæ incluſæ oculis inſpiciebat, & clanculum imbris aurei ſpecie irrepere tentabat: vel ad illam expoſitionem, quam, inquit ad illum verſum Abben Ezra, ſoli principes Cedar, id eſt, Saraceni, amatoriis & venereis dediti, huic loco affingũt. Atqui Hebræa perſpicua ſunt tam ad verbum, quàm ad ſenſum. Ad verbum quidem, *Et coma tua ſicut purpura regis alligata canalibus.* Nam quòd ארגמן afficitur Athnah & notatur per Camets, non Pathah, licentia eſt Maſoretica crebrò vſitata. Quam & Rabbini, inter quos Kimhi in lib. Rad. & in Grammatica, docent eſſe Emphaticam ob tacitam dictionis regentis. i. סמוך repetitionem, vel vt breuius dicã, qua Abſoluta pro Syntacticis, & contrà Syntactica pro Abſolutis vſurpantur. *Sicut purpura*, *purpura* inquam, *regis alligata canalibus*. Ad ſenſum autem, *Coma tua*, ò ſponſa, eſt *ſicut purpura regis*. i. pretioſiſſima, qualem Reges ſolent cõparare, *alligata canalibus*, tinctorum ſcilicet, eam vt tingant, vel exſiccent. Nam huiuſmodi vt recentior, ita & coloratior eſt, purior ac pulchrior, q.d. Coma tua eſt pretioſiſſima,

ſiſſima,puriſſima, ſplendidiſſima,nihil concedens ſplendori,puritati,pretioſitati vllius pretioſæ & recentis purpuræ. Prætereo myſterium,non cõtemnendum alioqui de Regis Meſſiæ vincti purpura, quod tangitur à Græcis & Hebræorum ſapiẽtibus, ſeorſum R. Abrahã. Sed nec ſincerius ſequẽtem verſum explicauit. Verùm nimis fortaſſe vrgeo linguæ illius expertem. Quid enim faciatis

P.II. Si capax ſat corculum
Non boni tanti gerit?

PRAETEREA vobis crearem tædium, ſi reliqua ſingulatim percenſere vellem, & ad Hebraicam trutinam expendere. Itaque id negotij vobis do, ac veſtræ fidei, ſapientiæque cuncta committo, quibus à Fonte receſſit, vt ſuis amoribus & impuritatibus ſatisfaceret. Maximè cum Fõtium ſitis ſtudioſiſſimi, & cunctas de Theologia controuerſias ad illos trãſmittere ſoleatis. Interim cogite, vt ſe vni verſioni potiùs addicat, quã per omnes vagãdo, cuiuſque interpretis errorem, propter iudicij & Hebraicæ literaturæ inopiam, ſequatur, & nos æmuletur, qui quamuis ipſum per Dei gratiam linguæ ſanctæ peritia ſuperamus, malumus tamen interpretationem vulgatam recipere, nec

nisi modicè ab ea recedere, quàm nobis indulgendo pios offendere, in eo potissimùm themate, quod non potest satis modestè & castè ab homine exponi. In commẽtarios verò difficultates siue ex re, siue è verbis subortientes conferre.

VNDECIMÒ, cùm Salomon affectarit similitudines ab amore externo & beluino remotissimas, ab externis nuptiis, & terrestribus alienissimas, à sensus pruritu & illecebris penit⁹ summotas, quas proinde quidam hæreticus Duriores ausus est appellare, indéque Salomonem nonnulli crediderint dotes & encomia Iudeæ regionis, non Sponsæ, descripsisse, ac ideo, verbi causa, Narem turri Libani, Vẽtrem aceruo tritici, Collum turri Dauidis comparasse, cur in his iste solus venatur carnalia & bruta, sicut equus & mulus rationis & intelligentiæ expertes? Appositione exempli hoc fiet illustrius. *Oculi tui*, inquit, *Columbarum intra comam tuam*. Hæc similitudo, quid non casti, puri, sancti, sapit obsecro; Nónne Sponsam columbino esse aspectu, puro & simplici, ita pudenti & verecundo, vt eius oculi intra comæ metas se contineant, nec huc illuc adulterarum more discurrant. At hìc Candidam suam Lusculã *siue pætulam*, itémque

criſpulam & cincinnulis pendibilem Beza repperit.

p.19. Es columbæ prædita
Pætulis ocellulis,
Hinc & inde pendulis
Criſpulis cincinnulis.

Rurſus, cùm pronuntiat Salomonis Sponſa, *Ego dilecti mei, & ad me cõuerſio eius*, nónne ſimpliciter ſe totam eſſe Sponſi aſſerit, & viciſſim Sponſum totum eſſe ſuum, adeò vt ad aliam nunquam ſe ſit conuerſurus, eámve relicturus. At iſte in re ſancta & conſolationis ſpiritualis pleniſſima ludit corculo, & aliorſum noſtras mentes abſtrahit.

p.40. Totam amice tu me mi
Vne amicam poſſides,
Vnicum te reſpicit
Iſtud omne corculum.

Præter quàm quòd infidè interpretatur. Nam non ait Sponſa ſuum cor Sponſum reſpicere, ſed contrà cor Sponſi ſe reſpicere & deſiderare. *Et ad me*, inquit, *conuerſio* ſiue *deſiderium eius*, id eſt, ille me vnam deſiderat & expetit, ad me vnam ſe vertit, & vt iſte loquitur, vnicam me reſpicit. Vbi quoque in quantitate peccat, vt corruptus pes mẽtem

curata comæ criſpitudo, contorſio, mollities, quantum item ad Sponſum, Lanugo criſpula, & criſpulæ nodi comæ. Nam his quid in adoleſcentibus deploratius, quid corruptius? Hîc maluiſti Beza tuo carneo duci ſenſu, quàm audire Apoſtolos, In habitu ornato, non in tortis crinibus. Denique ſponſum totum, quantus, quantus eſt, facit *Pellaciam*. Quis tam Latinæ linguæ hoſpes & peregrinus, qui neſciat *Pellaciam* prauè ſonare, & fallaciam, fallacémue illecebrã deſignare, indéque Pellacem dici vafrum circunſcriptorem, ac à nonnullis cum Græcorum παλλακία & παλλακὴ conferri. Pag. 18. 1. Tim. 2. 1. Pet. 3. Pag. 30.

Verum vbi nulla fugam repperit pellacia, Vir. 4. Geor.
&
--Inuidia poſtquam pellacis Vlyſſi,
(Haud ignota loquor) ſuperis conceſſit ab oris. 2. Aneid.

DECIMOTERTIÒ, dolemus, quòd ad exercendam ſuam poëſim non aliud ſibi argumentum ſumpſerit. Nam cum profanus ſit, cum profanè perpetuò vixerit, cogitarit, fecerit, ſcripſerit, quis vnquam exiſtimabit ab eo tam ſacros, tam myſticos, tam ſpirituales, tam caſtos amores poſſe exprimi? Animalis homo non percipit ea, quæ

ſunt Spiritus. Se labe Simoniaca aliquoties polluit, ſe ſuámque valetudinē ſtupris plurimis læſit, amores fœdos Candidæ & Audeberti cecinit, & publicauit etiam poſt miniſterium Verbi aſſumptū, factionibus, motibus, bellis, cuncta in ſua patria miſcuit, ad externos in patriæ incendium pertrahēdos ſe legatum vltro conſtituit, Regis ſui oppugnationi interfuit & pene præfuit, ſicuti apud Caſtalionem gloriatur, ad proditoriam principum necem ſicarios conduxit, æqualium impatiens multos veſtrum partim Geneua expulit, partim fictis criminibus perdidit, Alios, qui aliò ſeſe ad vitādam eius vim & tyrannidem ſubduxerant, vel alibi pridem ſedes habebāt collocatas conuitiis lacerauit, & ad ſuſpitionem impietatis adduxit, Paſſeuentiis & famoſis libellis Reges, Principes, Antiſtites, Nobiles, Magiſtratus, omnium ordinum probos & quietos quóſque traduxit, Antiquos & approbatos auctores contumeliis affecit, nominatim Ioſephum, Origenem, Hieronymum, Chryſoſtomum, Nicephorum, ſe denique aduerſus omnes, tanquam ferus Iſmaël armauit. Diſciplinam fœdam de matrimoniis ac aliis ad Religionis politiam pertinentibus, libris Speucæi de Continentia oppoſitā

tradidit. Consenescit in impurissima doctrina & corruptissima de fatali prædestinatione, de non curando paruulorum baptismo, de sacramentis cōtra verbū Dei, & piorum omnium praxim administrandis, de cogenda in hominum captum Dei omnipotētia, &c. & is Ecclesiam pulcherrimam, omni labe & macula purgatissimam, omni culpa diuino beneficio carentem optimè canet, celebrabit, ad eam pertinebit?

DECIMOQVARTÒ, ingemiscimus quòd se tantopere à scopo Auctoris remouerit. Cùm enim Salomon in ignobilissimis etiam membris nos transmittat ad cœlum, iste perpetuò nos, tanquam porcos, in terram curuat & inflectit. Cùm Salomon perpetuo congruat Apostolo dicenti, Mortificate membra vestra super terram. Et, Exhibete membra vestra arma iustitiæ Deo: Et, Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi, templum Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habemus à Deo: Tollens ergò membra Christi, faciam membra meretricis; Cum his, inquā, perpetuo congruat Salomon, iste contrà vbique ad membrorum lasciuiam, luxuriam, petulantiam, ignes, frigidam suffundit. Nam quod Salomon suo Cantico mentes nostras subrigere

in cœlum, & à terrenis cogitationibus abducere instituerit, crasso exemplo doceo. Ex ignobilioribus membris ob ignobiles & cum brutis communes functiones censetur bonis & sapientibus Venter, vt de eo clamet Apostolus, Esca vētri, & vēter escis. Deus autem & hunc & illas destruet. Et in eo tamen Salomon contemplatur cœlum, & ad cœlum nos iubet respicere, ac vti ventre, non vt edamus, bibamus, voluptuemur, sed vt viuamus ac seruiamus Deo. *Venter*, inquit capite quinto, *eius est eburneus distinctus siue tectus sapphiris*. Nempe quoniam Ebur candore & puritate excellit, non constat fluxa & liquenti materia, quoniam Sapphirus cæruleo cœlestique colore micat, quis est tam praue affectus, qui non statim intelligat, se hac dicendi formula vocari, atque incitari ad temperatè, candidè, pudicè, incorruptè, diuinè, & vt ita loquar, cœlestiter membris vtendum, quæ alioqui ad gulam, intemperantiam, impudicitiam natura peccato Adami corrupta vertit & inclinauit.

DECIMOQVINTO, eius cæcitatem miseramur, quòd auctoris neq; scopū neq; literam vllo modo viderit, nec intellexerit Sponsum & Sponsam hîc describi, quātum

ad literã perfectos,cũctísq; gratiis ac virtutibus excultos,quantũ ad mysteriũ,plenos diuinis sacramẽtis & rebus.Sed quoniam mysteria è nostris cõmentariis & Trium Rabbinorũ, quos superioribus annis vertimus, abundè haurire potestis,Corticis sentẽtiam degustare sat nobis fuerit. Capitibus quarto,sexto, & septimo Sponsa sic pingitur, sic describitur,vt simul doceatur quales oporteat esse fœminas fideles & Christianas. In genere est pulchra, suauis & decora, sicut Ierusalem,in qua erat sedes Religionis,nẽpe moribus & pietate insignis. Terribilis vt castra bene ordinata & ad confligendum instructa,nempe seuera,grauis,inuicta,inexpugnabilis,parata perpetuo ad excipiendas impressiones eorum,qui eius religionem,fidem,patiẽtiam,pudicitiam; & cæteras virtutes tentant. Columba, integra, chara parentibus ob obedientiam, humilitatẽ, suauitatem. In specie prædita est oculis columbinis,lætis,pudicis,simplicibus,Sponsum in dulci castóque amore continentibus.2. Capillis intra vittam coccineam inclusis, non foras prodeũtibus,non tortis, non crispis & calamistratis,nulla arte deprauatis, sed simplici pectine nitidis & compositis, vt pecus ouium Galadinarum. 3 Dentibus cãdidis,

fungẽtibus ſuo officio, non putridis,& inutilibus, non putentibus ex gula, crapula, intemperãtia,incontinẽtia, otio. 4. Genis rubicundis, pudentibus, & verecũdis. 5 Labiis coccineis ſiue rubentibus, propter eloquium caſtum, pudicum & verecundum. 6 Collo munito honeſtis ornamẽtis & torquibus, vt turris Dauid clypeis, ne nuditate quiſquam offendatur,vel ad libidinem pelliciatur. 7 Vberibus ambobus æqualibus & paſtis ſucco liliato,odorato & niueo, cóque abundantibus ad alendos liberos, vt ſit pia,recta,æqua liberorum lactatio & educatio. 8 Greſſibus pulchris,pulchro & decoro inceſſu, non leui & præcipiti, non nimis lento,molli & effœminato, nõ ſuperbo, &c. Et calceis nitentibus, non ſordidatis nimia peruagatione & curſitatione. Oportet enim fœminam, inquit Apoſtolus, eſſe οἰκουρὸν, rariúſque exire. 9 Feminibus probè iunctis, non diſſolutis, non vagis, non præuaricantibus, neque tranſilientibus metas ſui officij. 10 Vmbilico bene tẽperato, nunquam indigẽte potu mixto. i. habente motus temperatos, nec gignente motus inordinatos & ardorem concupiſcentiæ abſorbentẽ vſum rationis. 11 Ventre inſtar tritici vallato liliis & munito liliata pudicitia, niuea & ſua-

ni temperantia, contra morsus volucrium salacium. 12 Naso instar turris respicientis contra Damascum, acri iudicio & sagacitate procul respiciente ad res, & necessitates domesticas. 13 Capite eleuato, vt mons Carmelus, ob testimonium rectæ conscientiæ, nihil sibi consciente, non pallescente culpa, non depresso & deiecto propter pudendas actiones. 14 Coma, tanquam purpura regia & pretiosa, vincta canalibus, quoniam coma debet haberi in pretio, non publicè exponi, rei vænalis instar, non palam ostētari, sed vinciri, & coerceri vittis, ne defluat & mollitiē animi indicet. 15 Statura palmea, non succūbēte oneribus & negotiis domesticis, erecta in cœlum, ad Deum suspirante. 16 Gutture siue palato amabili, se solùm suo coniugi & propinquis communicante, Deum inuocāte. An aliquid istorum debet trahi ad impudicitiam, & non potius esse speculum virtutum, quas Deus in fœminis fidelibus, ad cœli fructum vocatis & electis postulet? An non hæc vetus est philosophia parabolis, symbolis, ænigmatibus docere solita, quæ pertinent ad mores, medicinam, naturā, res metaphysicas, Theologiam denique ipsam! ἀρχαῖον ὄιμαι καὶ λίαν πλατωνικὸν ὑπὸ προσχήματι φαυλοτέρας ὑποθέσεως κρύ

πτειν τὰ σπουδαῖα. Quæ qui ignorat, aut non legit nostri Salomonis Ecclesiastem ænigmaticè Senium vltimo capite describētem, aut non intellexit, vt taceam Prouerbiorū eius extantium & Canticorum ad multa millia non extantium infinitas parabolas, inuolucris arcana mirabilia contegentes, τοῦ μήτε τὰ μόλις εὑρεθέντα πάλιν ἐξ ἀνθρώπων ἀπόλλυσθαι, μήτε μολύνεσθαι δήμοις βεβήλοις ἐκκείμενα.

Decimosexto, quis non riserit, quòd ad fulciendas carminum suorum ruinas absurdos & ridiculos aduoluit obices, vt in Psalmis olim, inepta videlicet adiectiua & epitheta, vt quando Sponsi labella dixit Semihiulca, Gallicè *demy baaillantes*, pro Semiapertis opinor: Nā nolim, nec ipsi, credo, velitis, vt respexerit ad semihiulca impudicorum basia.

c.5. Bina sunt labellula
v.12. Myrrheum fundentia
p.25. *Semihiulca* balsamum.

Et malum Punicum *hians*, Gallicè *baaillāt*, pro aperto.

c.6. v.7. p.33.

Quale punici rubent
Mali *hiantis* granula,
Tale quiddam criſpulæ
Inter emicat comæ
Tortiles cincinnulos.

Nam quàm parum his locis congrua, quàm parum apta, immo verò quàm non inepta hæc & iſtius metalli ſint epitheta, quis ſatis explicauerit? Neſcio num etiã hîc debeam iſtius in fingendis diminutiuis inſultare audaciæ. Ea enim è quibuſlibet fingit temere ad fulciendam perpetuò verſus ſui ruinam, & quidem quod barbariem reſipit è Participiis, vt ſi quis à Part. *Amatus*, crearet Amatulum, A *Captus*, Captulum.

c.1. v.4. p.4.

Ergo tu me feſſulam
Tu me anhelam pertrahe.

A Feſſa feſſulam deduxit, Gallicè *Laſſette, petite Laſſe*, quod Participium eſt ab antiquo verbo Fatiſcor, vt Priſcianus docet. Atqui in puerili ludo nos præceptores noſtri docuerunt Diminutiua à nominibus duntaxat fieri, partim ſubſtãtiuis, vt ab *ignis igniculus*, partim adiectiuis, vt à *tener tenellus*, præter paucula aduerbia, Sæpiuſcule, &c.

Quod à Græcis obſeruatur; Nam ab εἶδος Subſtantiuo formant εἰδύλλιον, ab Adiect. μωρὸς μωρίων. A Participio doceat.

Poſtremò, nimis eſto minutum tanto poëtæ hallucinationem tribuere, vt cũ produxit ſyllabam *De* in verbo *Videritis*.

P.27. Fortè ſi videritis.

Fortaſſe enim ſibi vtẽdũ putauit Tribracho, loco Dactyli, vt Spondæo, loco Trochæi.

P.41. Nectar mutuo tibi.

At non video ad quem pedem reſpicere potuerit pagina 37. dum verſum ſuum claudit pede conſtante tribus longis loco Dactyli, vel Trochæi & ſyllabæ.

Hæ tuæ pupillulæ
P.37. Vitreæ ſunt *piſcinæ*.

Nam in hendecaſyllabo Martialis, & alibi *Piſcina*, penultimam perpetuò producit.

Piſcinam peto, non licet natare.

Has macululas propter Poëtæ dignitatem & amplitudinẽ facilè ferrem ob Flacci Horatij ſententiam,

Quãdoque bonus dormitat Homerus.

Sed idem mox ſignificat

Non opere in paruo fas eſſe obrepere ſomnum.

Nobis qui poëſim non exercemus, ſed ad

alia animum appellere ſolemus, fortaſſis fas eſſet. Verùm de Grammaticis rebus in his veſtris ſubſelliis nullam actionem intendo, ſed nec vos vllam de his mentionem habete, obſecro. Vos oro obteſtórque, vt ſolùm de moribus, de diſciplina, de doctrina, de ſcripturarũ interpretatione diſceptetis, quid nobis probabile, quid puſillis ſalutare, quid vobis honorificum ſtatuatis, in ſententia ferenda optimum & ſapiẽtiſſimum quodque eligatis, nec tam vnius vetuli in extremo vitæ actu deſipere pergẽtis, & Papatum quendam inter vos, priuſquã è viuis migret, ſpe complectẽtis famæ, & exiſtimationi, quàm Dei gloriæ, veſtrum omnium honori, multorum ſaluti, proximorum eruditioni conſulatis. Eum autem obnixè rogamus, vt veſtram ſententiam, quæcunque tandem illa futura ſit, æquo animo ferat, quali nos laturos vobis ingenuè pollicemur, æquiore noſtram actionem interpretetur, qui nullo priuato odio, nullo liuore, Deum teſtamur, ad eum traducendum adducti ſumus. Nos priuatim nunquam læſit, immò verò, ſi id beneficio tribuendum eſt, de nobis honorificum teſtimonium ſæpe, vt à multis accepimus, tulit, ac noſtras in Burguinum Ioſephi Gallicum interpretẽ, Schekium & Danæum Antitrinitarios cẽſuras laudauit. Sed

tanta est nostræ fidei & religionis vis, vt nullum, ne quidem parentem, ferre possimus, qui sacram Scripturam indignè tractet, aut ea ad impudicitiæ & sceleris velamen abutatur. Deinde existimauimus nos ipsius gratiā inituros, si hac castigatione redderemus moderatiorem & ad spiritualia attētiorem. Nam sic intellecturum, se non ad insaniam, verùm ad sanitatem, resipiscentiámque vocatum, rogatúmque beneuolè vt animi rationem habeat, iuuenilia in suæ ætatis præcipitio deserat, corporeis voluptatibus nuncium remittat, de futura vita seriò tandem cogitet, mortem imminentem ob senium in oculis ferat, Tribunal Domini horrendum, in quo de verbis otiosis reddenda erit exacta ratio, multò magis de scriptis pestilentibus, de scandalis, de hæresibus, de corruptelis Verbi Dei palam & publicè expositis, paueat, se ad extremū vitæ actum peruenisse meminerit, præcedentis scenicam protasim, tragicam epitasim, comica saltem & probabili catastropha claudat, ac nos de sua conuersione gaudentes, Deóque Opt. Max. gratias agentes cum sanctis Angelis, efficiat. Valete omnes, & Spiritū Sanctum habetote mentium vestrarum collustratorem, Lutetia 7. Idus Octobris, 1584.



CANTICVM CANTICORVM SALOMONIS versibus Iambicis Dimetris expressum, & commentariis illustratum,

Gilb. Genebrardo Theologo Parisiensi, Professore Regio auctore:

Aduersus Trochaicam Theodori Bezæ Paraphrasim.

Argumentum.

Parabola & Dramate Sponsæ & Sponsi oues pascentium, Domini & Ecclesiæ coniunctio indiuidua, fida, sancta, perpetua describitur. Carmen est bucolicum similitudinibus & personis pastoritiis exornatum.

Personæ interloquentes vel præsentes.

1. Sponsa.
2. Sponsus.
3. Chorus Virginum.
4. Chorus adolescentium Sponsi comitum.



CAPITIS PRIMI ARGVM.

Sponsa Sponsi Christi corporatam præsentiam aduentúmque expetit.

SPONSA.

1 Osculetur me osculis oris sui.

2 Quia meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.

3 Oleum effusum nomen tuum. Ideo adolescentulæ dilexerunt te.

SPONSA.

VERS. 1. *Tot expetitus ſæculis,*
Tot prædicatus patribus,
Tot ante dictu gentibus,
Tot nuntiatus litteris,
Tot perſonatus vatibus,
Tot lineatus formulis,
Tot concupitus Angelis,
Nunc ille me frequentibus
Suimet oris oſculis
Exoſculetur ſuauiter.

2 *Dulces amores nam tui*
Sunt præferendi poculis
Fragrantibúſque balſamis.

3 *Vt ſis vocandus balſamum*
Se cuius vnguen largiter
Partes in omnes funditat.
Et hinc puellæ virgines
Sanctiſsimè te diligunt.

4 Trahe me: Poſt te curremus in odorem vnguẽtorum tuorum. Introduxit me Rex in cellaria ſua. Exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum ſuper vinum. Recti diligunt te.

5 Nigra ſum, ſed formoſa filiæ Hieruſalem, ſicut Tabernacula Cedar, ſicut tentoria Salomonis.

6 Nolite me conſiderare, quòd fuſca ſim, quia decolorauit me Sol: Filij matris meæ pugnauerunt contra me, poſuerunt me cuſtodem vineis: Vineam meam non cuſtodiui.

7 Indica mihi, quem diligit anima

4 *Tu me ergo fessam pertrahe.*
Ad te gradu tunc concito
Tantis adductæ odoribus
Perniciter volabimus.
Rex duxit intro me sua
Benignus in conclauia.
Ibi simul lætabimur
Tuis fruentes vultibus,
Tui ex amoris fontibus
Memores lac ire dulcius
Vllo meraco nectare.
O quem probi perdiligunt.
5 *Sum nigra, pulchra sed tamen,*
O Sollymorum filiæ,
Sum nigra ceu mapalia,
Arabs tetendit quæ Cedar.
At pulchra, sicut candida
Dauididæ tentoria.
6 *Nolite me ergo Virgines*
Fuscam velut contemnere:
Me decolorem feruidus
Aestu suo Sol reddidit,
Quando misellam filij
Matris meæ, per vineas
Me depulerunt exteras.
Hinc exulo procul meam
Non, mœsta, seruans vineam.
7 *Te quæso, nobis indica,*

mea, vbi paſcas, vbi cubes in meri-
die, ne vagari incipiam poſt greges
ſodalium tuorum.

Sponsvs.

8 Si ignoras, ô pulcherrima inter
mulieres, egredere & abi poſt veſti-
gia gregum & paſce hædos tuos iux-
ta tabernacula paſtorum.

9 Equitatui meo in curribus Pharao-
nis aſſimilaui te, Amica mea.

10 Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut Tur-
turis, collum tuum ſicut monilia.

O Sponse, quem mens deperit,
Pascas vbi greges tuos,
Vbi cubes, Sol torridus
Dum verticalem poßidet
Lucis diurnæ circulum,
Captans ouili vmbracula.
Ne post greges horum vager,
Qui pro tuis sodalibus
Sese gerunt, quàm turpiter,
Velut quietem quæritans.

SPONSVS.

8 *Id virginum pulcherrima*
Si nescis, exito foras,
Et quà meus grex, inspice,
Carpens agrorum pascua
Impresserit vestigia.
Horum gregum pastoribus
Te proximam coniungito.
Hædos tuos hîc pascito.
9 *Sic interim præstantiâ*
Formæ sublimi præditam
Te confero Pharoniis
Aegyptiorum curribus,
Quos nunc mei trahunt equi,
O Virginum charißima.
10 *Genas habes ceu Turturis,*
Vtrinque tectas aureis
Argenteísve inauribus.

11 Murænulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.

SPONSA.

12 Dum esset Rex in accubitu suo, Nardus mea dedit odorem suum.

13 Fasciculus Myrrhæ dilectus meus mihi. Inter vbera mea commorabitur.

14 Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.

SPONSVS.

15 Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui Columbarum.

SPONSA.

16 Ecce tu, pulcher es dilecte mi,

Habes nouum colli decus
Monilibus cum gemmeis.
11 *Quæ iam nouis honoribus*
Augere plenè cogito,
Hinc inde ſparſis punctulis
Argenteis, murænulas
Dum fabricamus aureas.

SPONSA.

12 *Dum cum ſuis domeſticis*
Sumens cibum rex accubat,
Nardi fragrantis vnguine
Perfundo tota regiam.
13 *At hîc mihi chariſſimus*
Inter papillas commorans
Ad faſcis inſtar Myrrhei
Meme ſedentem recreat.
14 *Mihíque ſicut Cyprius*
Botrus ſit, inter Engadas
Olens ſuaue vineas.

SPONSVS.

15 *En tu mihi chariſſima*
Es Virginum pulcherrima,
Es omnium belliſſima,
Habens Columbæ lumina,
Sancto pudore prædita.

SPONSA.

16 *Et tu viciſſim chare mi,*
Tu totus es pulcherrimus,


BIBLIOTECA ... ROMA ... VITTORIO EMANUELE

& decorus: Lectulus noster floridus.

17 Tigna domorum nostrarum Cedrina. Laquearia nostra Cypressina.

INTERPRETIS COMMENTARIA IN CAP. I.

Canticum Canticorum, vt pulchrè scribit Origenes, est nuptiale carmen castos exprimens amores, iucundósque complexus animorum, concordiam morum, & affectuum, consentaneámque spirans ad alterutrum charitatem, qua Sponsa fidelis ad perfectam ætatem, & ad annos nubiles iam peruenit, annos dico bonorum operum, non temporum, vt ad cœlestis Spôsi complexus idonea iudicetur. Nec est strepitus oris, sed iubilus cordis, non sonus labiorum, sed motus gaudiorum, concordia voluntatum, non cõsonantia vocum. Conscriptum autem est in morem pastoralis eglogæ & amatorij dramatis, ac in eo omnia ferè sunt bucolica, ex artéque pastoritia. Varias loquentes, præsentésve

5. Personæ huius dramatis. personas habere fingitur, Christum Sponsi nomine, Ecclesiam Catholicam & solidam, Sponsæ titulo

Tu totus es gratissimus.
Ac inde noster Lectulus,
Vernat viretque floreus.
17 *Quin & tigillis Cedreis*
Nobis nitet palatium,
Cuius tegunt solarium,
Pulchrè trabes Cupresseæ,
Et dulcè olentes asseres.

titulo Sponsæ sororculã, etsi hâc personam non agnoscat Origenes, quatuor tãtùm facies. Socias & Sodales Spõsæ, quæ appellantur filiæ Hierusalem, id est, singulares Ecclesias vel personas, (Aliene R. Selon. exteras gentes) Amicos Sponsi, id est, Angelos & Sanctos. Quæ omnia vtcunque respondent choris Euripidis & Aristophanis, & distribui possunt in certas narrationes & quasi actus. Primus actus vsque ad initium tertii Capitis, vbi noua incipit confabulatio & quasi narratio. Secundus vsque ad secundũ versum quinti Capitis, *Ego dormio & cor meum vigilat.* Tertius illinc protenditur ad vsque vndecimum versum sexti. Postremus inde ad finem, vt ex Rabbino Anonymo intelligitur. Dubium autem est, quænam ex sensu literæ hæc puella sit, quam Salomon loquentem facit. Nonnulli existimant esse filiam Pharaonis Ægyptiam, alij ex capite 7. Ierosolymitanam quandam. i. Sullamith, à Salem, quæ tandem Hierosolyma. Sed quia hæc sunt profani potiùs, quàm sacri amoris argumenta, item quia Sponsi nostri similitudines ducũtur à

rebus Salomonis, eo vel nominatim expresso, vt c.3.& 8. vel tacitè perstricto, vt quod haberet nimis multas vxores, c 6.v.7. & soli stulti se palam perstringunt & traducunt: idcirco omnino credẽdum est cùm hæc scriberet Salomon, multò altius spectasse, ac nullius puellæ externæ respectu, Sponsæ parabolam more suo atque stylo Spiritus Sancti afflatu vsurpasse, sicque cõdidisse τὸ μυστικὸν τῶν ᾀσμάτων βίβλιον, vt vocat Theod. lib.5. de Prouid. insignis enim erat parabolis, vt historia libri Regum indicat. Et sanè hunc stylum seruat in Prouerbiis & Ecclesiaste, quod & multis exemplis Hebræi docent in Midras. Hanc autem parabolam inter cæteras delegit, primùm quia amor coniugum est arctissimus & coniunctissimus, secundò vt seruaret morem Scripturarum, vt Es.62. Ezech.16. Ps.45. Os.1.& 2. Desponsabo te mihi in sempiternum, Desponsabo te mihi in iustitia. Math.9 Aderit dies cum tolletur ab eis Sponsus. Ioan.3. Qui habet Sponsam Sponsus est. Tertiò, quia Christus erat incarnãdus & quasi maritãdus cum humana carne. Quin & Eph.5. Paulus docet Christum ita sibi copulasse Ecclesiam, vt eam fecerit suã carnẽ, iuxta illud Gen.2. de viro & vxore, Duo erunt in carne vna, & eam nutrire & fouere vt carnem suam (cibo suæ carnis & potu sui sanguinis). Quartò vt doceret, quali, quãto, quàm dulci & fido amore se coniuges cõplecti debeãt, nẽpe se vnos cogitare, amare, cõcordes esse, pios, &c. Quintò, quoniã legitima maris & fœminæ cõiunctio præfigurabat Christi & Ecclesiæ copulationem, vt B. Paulus disseruit ad Ephesios, Sacramentũ enim hoc magnum

Matt.22. 2.Cor.11. Apo.19. Eph.5. Psal.44.

est, in Christo inquam, & Ecclesia. Christus siquidem maritus est. Es. 54. Quia maritus tuus, factor tuus Dominus exercituũ nomen eius, itémque Sponsus. Nã ita se ipse vocat, Mat 9. & 25. vt & discipulos Spõsi amicos. Ioh. 3. Ecclesia autẽ Spõsa, vt infra cap. 4. & 5. nominatur. Quod causam dedit Paulo & Dauidi, vt vtriusque indiuiduam coniunctionem & tanquam desponsationem eleganter celebrarent. Ecclesia quippe Christo copulatur tam interiori consensu & voluntate, quàm natura. Idem enim vterque vult, & præterea ipse formam hominis assumpsit, qua cum Sponsa sua conueniret, eámque sibi arctius naturæ similitudine deuinciret. Nam vt inter coniuges coniugatio est secundùm consensum animorum & secũdùm commixtionem corporum, quorum ratione duo in carnem vnam coalescere dicuntur, ósque vnius fieri ex alterius ossibus, & caro ex carne: ita Ecclesiæ Christus conciliatus sociatúsque spiritualiter & corporaliter. Nẽpe dilectionis & naturæ necessitudine, dum egrediens è sinu patris adhæsit vxori suæ, factúsque est idem carne, cum Ecclesia, quam diligebat. Hãc singularem vnionẽ, societatémque indiuiduam tropis & figuris pastoralibus, hoc poëmate canit Salomon, assumens identidem amica bucolicorum versuum verba, vt propterea, eius librum, scitè Magnus Dionysius appellarit θείων ἐρώτων ἄσματα καὶ ἐνθέους εἰκόνας, & Augustinus scripserit, narrationem in his libris genus locutionis figuratarum esse rerum, non gestarum, sicut in Regnorũ libris & eiuscemodi cæteris. Duobus quidem aliis modis huius vnionis mysteriũ à diui-

Nota.
Psal. 44.
Gen. 2.
De Ecclesiast. Hierar. cap. 3.
De Genes. ad lit. lib. 8. ca. 1.

Tribus modis Christus & Ecclesia describuntur in Script.

nis scriptoribus pingitur, sub parabola, primùm, agricolæ & horti, siue vineæ, deinde pastoris & gregis, sed hic omnium longè accommodatissimus, ob causas iam commemoratas. Etsi enim Hebræi non passim iuuenes admittunt ad lectionem trium tractatuũ.i. ad tria capita prima Geneseos, ad principium & finem Ezechielis, à cap. 40. ad hoc Cãticum, ad duo quidem prima propter obscuritatem, ad istud verò propter periculum salacis titillationis in iis, in quibus affectus nondum deferbuerint: tamen quum etiam profani, vt est apud Platonem in Symposio, duplicem Cupidinem fecerint, vnum filium Iouis & Diones castum, alterum Iouis & Veneris, impurum, non video cur aliqui hinc in cogitationem turpium amorum venire debeant aut possint, cùm præsertim nulli sint tam malè imbuti diuinis literis, vt illas nesciant castimoniæ omnis magistras esse, & proptereà si quæ impotentis animi speciem præ se ferãt, ad spiritum esse transferendas. Scriptura enim figuratis locutionibus, similitudinib⁹ & ænigmatis ad nostras dicendi formulas accommodatis, vt alia mysteria, ita & diuinos diuini amoris aculeos frequenter declarat. Quod vt meliùs intelligatur notandum est in diuinis libris triplex intelligentiæ genus obseruari. Primũ, per quod quædã accipiũtur historicè, propriáque oratione sepositis ænigmaticis, vel allegoricis figuris, vt legis Decalogus. Alterũ, non tãtùm historiam fidémque rerũ gestarũ, sed figuram etiam allegoricorũ sensuum complectitur. Huiusmodi est petra ex qua Moses latices elicuit, quæ iuxta historiam quidẽ cau-

Nota triplicem modum intelligendarum Scripturarum.

1. Cor 10.

tis fuit, aquásque re vera euomuit, iuxta verò allegoriam Christi figuram retulit, qui cùm sit lapis in fundamento Sionis fundatus, suaui spiritalis vitæ poculo, credentium mentes satiat. Tertium, quod tantùm per allegoriam & secundum spiritũ sumitur. Tale est Canticum Canticorum & cæteræ parabolæ, in quibus nihil historicè accipitur, sed omnia ad spiritum perpetua quadam allegoria transferuntur. Quòd autem nonnulli eleuant authoritatem Ecclesiastis, quia in eo non reperitur nomen tetragrammaton, huius verò quòd ne Elohim quidem aut alterius nominis Dei (sunt enim decem numero) mentionem faciat, id officere non debet, quoniam Salomon ab instituto suo non discedens, immoratur persistitque in proposita Sponsi & Sponsæ parabola, & externis inhæret internorum declarandorum causa. Alioqui dubium non est, quin Sponsi nomine Deũ iuxta Rabbinos, aut potiùs iuxta nos Dei filium Christum Dominum nostrum intellexerit. Deinde hoc multò magis debuissent obiicere de volumine Esteræ, in quo de Deo ne hilum quidem, quatenus apud Hebræos hodie extat. Cæterum Hebræi hoc Canticum ad Ecclesiam veterem, Nostri magna ex parte ad Ecclesiam nostram, nos ad vtramque referri volumus, cùm præsertim vnica sit Sponsa Christi, quæ ab Adamo per Abelem & Sethum ad nos deriuata sit. Origenes autem refert primò ad Ecclesiam ex Gentibus collectam, deinde ad vnamquamque animam, quæ ad Deum & fidem tẽdit. In eo interdum Dominus collaudat Sponsam suam, interdum Ecclesia Sponsum suum, cõtra quàm fiat

Hic liber est parabola.

In reliquis scripturæ Canticis. In quibus, vt annotant in Midras citra Dialogismum, aut Israël laudatur à Domino, aut Dominus ab Israële. At hîc sanè de Domino & Ecclesia scopus est genuinus & à Spiritu Sancto intentus. Alij quinque expositionum modi, qui in hunc librum prodierunt sunt partim alieni ab instituto, partim ex isto pendent. Alienus est eorum, qui alludentes ad librum Martiani Capellæ de nuptiis Philologiæ & Mercurij Epithalamion esse putant Sapientis & Sapientiæ inuicem colloquentium. Alienior illorum, qui secundo loco de Salomone & Rep. siue regione Iudæorum exponunt. Alienissimus aliorũ, qui tertiò totum Canticum secundum occidentem literam de amoribus Salomonis & Pharaonis filiæ, siue Abisag Sunamitidis interpretantur. Nam hoc profani amoris potius est argumentum quàm sacri. Quod secutum Castalionem & Anabaptistas aiunt. Reliqui duo modi è primario vero̊que pendent. Nam quòd vniuerse de Ecclesia dictũ est, id priuatim ad Ecclesiæ membrũ transcribunt, vt cùm Rhetores thesim ad hypothesim reuocant. Ita quartus est de Animæ erga Deum, & de Dei erga Animam amore. Quintus autem & postremus de mutuo D. Virginis & Christi filij colloquio. Hic enim (ait Ioan. Halgrinus Cardinalis) applaudit mater filio, hic filius matre delectatur. Hic matris priuilegia describit filius, hic excellentiam filij describit mater. Verum nos in primario & germano sensu more nostro insistamus, neque per singulorum opiniones vagemur. In quo non multum à nobis Hebræi absunt: Nam quod nos

personaliter

personaliter de Deo incarnato, siue de Dei filio & Christo intelligimus, id illi absolutè & simpliciter de Deo exponunt. Quin & eorum plurimi, vt è Midras perspicitur, de Messia siue Christo, aut omnia aut plura. Appellatur autem Canticum Canticorum, quia fœcundissimum est mysteriis, laudatissimúmque inter Cantica, quæ cõposuisse dicitur Salomon 3. Reg. 4. tam ratione artificij quàm rei subiectæ, continet enim præcipua mysteria Ecclesiæ veteris & nouæ. Sic vsitatum est dicere in Script. Regem Regum pro Rege potentissimo, Locustam Locustarum in Sophonia pro Locusta copiosissima, & apud Theologos veteres, vt Dionysium τελετὴ τελετῶν de Sacra Eucharistia, Nazianzenum ἑορτὴ ἑορτῶν de festo Paschatis, imò verò & apud prophanos, vt Sephoclem δειλαία δειλαίων. Cõstat carmine, sed huius ratio metrica excidit, vt & Psalmorum, Iobi, Prouerbiorum. Quæ enim oratio hodie inter Hebræos coërceri pedibus dicitur, recens est & ab aliis linguis ducta, vt alibi scripsimus. Iam cõtextum delibemus.

1 Hac formula expetit Domini aduentum in carnem, vt infrà initio capitis 8. vt non iam more veteri diuinitate duntaxat & spiritu, sed etiam corpore præsens sit, ac proximus. Oscula enim oris significant corporatam præsentiam atque congressum per vnionem hypostaticam, siue assumptionem humanæ substantiæ in diuinam hypostasim, per quam iam nos osculari corporaliter possit. q.d. Congrediatur mecum colloquio corporeo, Sumat carnem vt familiariùs mecum versetur. Sat mihi apparuit modis inuisibilibus,

ſat internis inſpirationibus. Sat mihi locutus eſt per Prophetas,& Angelos. Iam ipſe mecum per ſe colloquatur, &c. Poſſumus etiam per oſcula intelligere in genere arctam & ſingularem coniunctionem. Sic Paulus cupit eſſe cum Chriſto. Sic pij optant eum ſentire in ſe inhabitantem. Nam cum Rabbinis accipere internam inſpirationem,cum Ambroſ. gratioſam communicationem conuiuij cœleſtis,nimis eſt coactum.

2 Vbera Domini ſunt duo Teſtamenta,vetus & nouum, quibus ſe nobis præbet amabilem & ſuauem. דדים *Daddaim* vbera,*Dodim*,autem amores metonymicè, quia amoris ſedes eſt in vberibus & corde,cui adhæreſcunt vbera. Vtraque lectio congruit, Niſi quod vbera, quæ ſolent ad amorem pertrahere,non propriè cõueniunt Sponſo,vnde & cap.5. vbi Spóſi membra deſcribuntur,nulla vberum mentio. Intelligunt autem noſtri vberum nomine dulcedinem Euangelij, Vini verò Legem veterẽ paulò duriorem. Si metonymicè exponas amores, intelliges arctam & ſingularem cõiunctionem, qua Eccleſiam Chriſtus deperit, per vinum quamcunque lætitiam. Amor Dei eſt quoddam vinum, quod exhilarat cor hominis,inebriat & abſorbet vſum ſenſuum & rationis humanæ, quod denique audentes & diſertos facit. Quin eſt ſuauior vino, quia delitiæ ſpirituales ſunt ſuauiores corporalibus. Nam & afficiunt animam & redundant in corpus. Per vnguenta autem virtutes & gratias Domini.

3 Loquitur de odore verbi Domini & prodigiorum eius, quorum fama multi ceruicem ſup-

posuerunt & Legi veteri & Euãgelio. Sic Eccl.7. melius nomen bonum.i.fama, quàm vnguẽtum. Sic nostri tradunt in sacro chrismate Balsamum propter odorem,claritatem famæ designare. Per puellas intellige singulares animas, Ecclesias, aut etiã gẽtes. Tanta est suauitas doctrinæ tuæ & verbi tui,vt etiam gẽtes,quæ te non nouerũt, amore tui capiãtur téque perquirãt. Dionysius Areopagita cap.4.lib.de Eccl. Hier. non alienè hunc locum tractat. Iesu,inquit, nomen oleum est effusum. Christus enim appellatur,quod ipse eximiè fragrans repleat diuina voluptate participes. Est enim fons suaueolentiæ, emittẽs diuinos halitus in pias animas. Masorethæ autem altiùs inchoarunt hunc versum, Propter fragrãtiam vnguentorum tuorum suauium, oleum siue vnguentum effusum est nomen tuum. *Oleum* autem siue vnguentum generale est ad omnia vnguenta. Hîc κατ᾽ ἐξοχὴν pro vnguento siue succo odorato. Tale est nomen Sponsi, quia Christus & Heb. Mashiah, siue Messias vnctum sonat. Quin & priore epistola Ioan. cap. 3. vnctio nominatur. Nempe vnctus est ratione humanæ suæ naturæ oleo exultationis præ aliis, id est, Spiritu Sancto, eiúsque virtutibus & gratiis. *Vnguentum* ergo *effusum*,gratia effusa & copiosa,quæ largiter distribuitur, *nomen tuum*, ô Christe, sic nominaris & celebraris. In Christo enim est multiplex oleum, siue vnguentum.i.gratia. Prima vnionis,qua natura humana indiuiduè communicatur cum diuina,eíque vnitur hypostaticè. Altera singularis & propria,qua omnes perfectionũ thesauri corporaliter in eius personam effusi sunt. Col.1. & 2.

Tertia capitis, quasi vniuersa & generalis, ad gratias in alios trāsmittendas, per quam de eius plenitudine omnes accipimus. Nam non modo sibi est plenus gratiis, & dotibus, sed & nobis, vt proinde non simpliciter nominetur *oleum* siue *vnguentum*, verùm etiā *effusionis* siue *effusum*, in alios videlicet. Vel iuxta Rabbinos *Nomen* significat famam, vt attigimus, Fama tua est velut vnguētum effusum odore sui homines capiens & illiciens. In Heb. est elegans paranomasia in שם *shem* & שמן *shemen*. *Ideo adolescentulæ* Virgines prop. *dilexerunt te*, tuam amicitiam ambiuerūt, relictis mundi & externarū rerum vanitatibus, voluptatibus, &c. *Adolescentulæ* autem sunt singulares Ecclesiæ, vel animæ corpore & animo castæ, vt loquitur Paulus 1. Cor. 7. Adolescentulas autem dixit, ait Orig. non illas vetulas ac veterem hominē indutas animas, neque rugas habentes, sed eas quæ augmento gratiæ adolescunt.

4 *Trahe me*. Initium iustificationis nostræ à solo Deo est, qui nos ad sui cognitionem & amplexum vel aliud quiduis agētes trahit POST TE CVRREMVS. Ego cū Virginibus, Ecclesia cum fidelibus. Vel, Iam iustificata curram non ego, sed gratia Dei mecum. Ideo enim mutatio numeri facta videtur, nā alioqui dicendū fuerat, POST TE CVRRAM, Obserua ordinē salutis. Primus gradus est electio siue attractio. Secūdus, ex parte nostri, apprehēsio & cōcursus. *Introduxit me Rex*. Hic præteritum pro futuro nonnulli esse aiunt: introducet me in penetralia sua. Intelligi rectius potest in præterito, quasi Ecclesia glorietur & prædicet se iam admissam esse in Domini cōcla-

uia, referta opibus & thesauris scientiæ & mysteriorum. Penetralia enim sunt loca secretiora, vbi thesauri multi sunt. Alij nimis restringunt ad cellaria seu *ταμιεῖα*, vt Græci verterunt, ex eo quod Sponsus dicatur induxisse Sponsam in cellā vini, capite secundo Vox enim Hebræa generalior est. *In te* fauore & familiaritate tua. *Vberū*, vel amorū vt supra. *Recti*, Rectitudines propriè. Abstractum pro concreto, quicunque recti sunt amant te. Sic & Septuaginta & Hieronymus. Hebræi exponūt in ablatiuo, repetito puellarum nomine è superioribus. Virgines amant te rectitudinibus, & amore recto, in quo est synceritas & planities, nihil fuci, &c. vel, Virgines te amant (præ) rectitudinibus. i. magis quàm vinū generosum, hoc enim nomen peculiariter dici volunt de vino, ex Cant, 7. & Prou 23. Vinum ambulat in rectitudine, directè & generosè, vide Abben Ezram. Obserua autem hîc fieri transitum à secunda persona ad tertiam & contrà, *trahe me*. Deinde, *introduxit me*; Mox, *delectabimur te*.

5 Per prolepsim occurrit obiectioni. Cur cum tuus Sponsus sit tam pretiosus, tam præstās, tam amabilis, tu eius magnitudini & maiestati nón respondes, sed sis nigra, &c. Mea, inquit, species & pulchritudo est interior. Nigror externus, accidētarius, non naturalis. Vis persecutionum me eo adduxit, vt nigrorem cōtraherem. Vel ex Origene. Nigra sum propter præterita peccata, pulchra propter pœnitentiam & gratiam remissionis. Sic Moses Æthiopissam duxerat in vxorem. Num, 12. *Sed formosa*. Nigra quidem sum, verum formosa vt tentoria Cedarenorū, qui Nomades

ſunt & agunt vitam vagam & paſtoritiam in deſertis Arabiæ,& vt tabernacula Salomonis,quorũ,etſi expoſita pluuiis & aëris iniuriis nigrorem quẽdã cõtrahunt,inſignis eſt interior elegãtia & partium conformatio ſeu deſcriptio. ſic enim,ſi qui foris eſt, noſter homo corrumpitur externis incõmodis, & qui interior eſt renouatur in dies. Lege 2. Cor. 4. Rabbini Similitudines diuidũt,vt ſingula ſingulo membro conueniat. Nigra ſum, vt tabernacula Cedarenorum populorũ Arabiæ, quę nullam habẽt pulchritudinẽ propter populi incuriam, paupertatem & inelegantiam, & quia perpetuò ſub dio verſantur, nigricãt. At pulchra vt pelles ſiue cortinæ & tentoria Salomonis,quæ ob Regis magnificentiam nitebant interius, inſigni erant elegantia & artificio. Hæc autem referunt ad Synagogam,quæ iacebat afflicta in Ægypto,vt proinde appellata ſit fornax ferrea. Noſtri ad Eccleſiam collectam ex Gentibus, quæ fœda erat olim Idololatria & carnis operibus, poſteà verò vocatione,fide, pœnitentia, operibúſque fidei ſecundum electionem prædeſtinationémque Domini perelegans facta eſt. Referri etiam poteſt ad omniũ temporũ Eccleſiam,quæ ſemper perſequentium iniuriis opportuna fuit: cum intereà pietatem & fiduciam in Dominum nũquam depoſuerit. Per filias Ieruſalem nonnulli intelligũt Angelorum cateruas. R. Selomo gentes, Abben Ezra cogitationes. Noſter Origenes Iudæos, Scribas maximè & Phariſæos, qui cernebãt Eccleſiæ ineuntis humilitatem, non habita ratione deliciarum ſpiritualium & conſolationum internarum. Tu vniuerſim intellige ſingulares Eccle-

Filiæ Hieruſalem quæ.

sias,aut certè singulos ex Ecclesia.

6 *Fusca*, subnigra, Nigram ante dixerat, sed nunc se corrigit, vt significet se locutam ex aliorum opinione,nec tanto nigrore affectam,quanto homines existimẽt. *Sol*,feruor persecutionum, & malorum, metaphoricè, me eò adduxit vt nigrorem contraherem. *Decolorauit me*, aspexit mè propriè.i.tetigit, deformauit. *Filij matris meæ.* Ex eadem matre mecũ orti, non patre. i. fratres mei vterini,q.d. Cæteri hominũ cœtus me persecuti sunt,occuparũt me in suis negotiis, vexarúntque curis multis,adeo vt vineam meam, meũ agrum, meam possessionem non seruarim, sed eam reliquerim incultam, squallentem, iniuriis & prædis omnium expositam. Coëgerunt me seruire huius sæculi negotiis, meáque relinquere. Nam *mater Ecclesia* est humana natura, cuius filij sunt etiã Pagani,Mahometani,Iudæi,Hæretici. *Vineá* autem possessio exterior, loca sacra & dedicata Deo, vsus item liber religionis,quem impij solẽt interuertere. Alij restringunt ad Hæreticos,quos renatos externa ceremonia nobis pro fratribus Ecclesia præbuit: cùm interim Dominus eos in filiorum numero nunquam duxerit, adeo vt ex patre fratres haberi non possint Nam,vt Cyprianus rectè in libro de Simplicitate Prælatorum inquit, Non habet Deum Patrem qui non habet Ecclesiam matrem. *Pugnauerunt*, incanduerunt, prop.exarserunt.

7 Quia se tactam Sole dixerat, interrogat cur hoc meridiano æstu,quem ferre cogitur, Sponsæ suæ rationem Sponsus non habeat. Cur enim committas vt sim tanquam meretrix, quæ velo

obducere se solet, vt de Thamar scribitur Gen. 38. aut vt scribit Kimhi in Radicibus, tãquam diuertens & vagans ad greges sociorum tuorum. Nam vbi nostri *ne vagari incipiam*, Hebræi. *Nam cursim tãquam velata*. i. meretrix, 70. περιβαλλομένη vel *declinans*, vaga. Vagatricem similiter vocant Hebræi scortum, siue meretricem. Sic Chaldæi נָפְקָא בָרָא q. exeũtem foras, quòd talis esse soleat mulier, cui pudicitiæ nulla cura est, vt contrà proba & casta domi residet, diligentérque curat rem familiarem. Vnde D. Paulus iubet, vt mulieres sint οἰκουροὶ, q. Domus custodes, & Poëta,

Seruate vxores, caluus adulter adest.

Allegoricè, indica mihi, vbi tempore persecutionum, & malorum te possim repperire, & captare consolationes. Quare enim adacta vbi & pondere afflictionum, atque adeo tentationum, ad idola, ad Deos alienos, ad peregrinas religiones deficiam? aut etiam Hæreticos, vt quidem Augustinus epistola 48. ad Vincentium interpretatur, quos sodales Dei ait hîc appellari propter communionem Sacramentorum. Porro sodales Dei istos omnes facit, nõ ad veritatem sed ex opinione hominum. Sic enim sæpe loquitur Scriptura, *Meridies* ergò vehemẽtia & ardor persecutionum, *sponsi sodales* Dij peregrini & pseudoprophetæ, qui se pro eius sociis ac ministris venditant vel gerunt.

8 Obserua, vt Christus anteà pastor dicebatur, ita & hic Ecclesiam tanquã pastricem dici. Nempe, vt in Bucolicis puellæ oues seruant, & in Genesi Rebeca, ínque Exodo Iethronis filiæ. Sequere vestigia ouium, patrum, vt Hebræis, & pasce

quod tibi commissum fuerit ad tabernacula pastorum, & ad Ecclesias quasque, quas Dominus in terris instituit, ô mulierum pulcherrima, quæ ad Dei imaginem & similitudinem olim ab eo procreata, & à Christo nunc recreata es. Insignis locus contra Hæreticos. Nam hoc versu docetur vbi tempore perturbato & difficili vera sit Christi sedes, nempe in ouium & pastorum perenni successione, quæ vna est è notis Ecclesiæ. Contrà Synagoga Satanæ, non potest indicare ordinem pastorum suorum, neque suũ per successiones ab initio decursum, neque suos cẽsus deferre ad aliquẽ ex Apostolis vel Apostolicis, qui cum Apostolis perseuerarint. Leg. Tert. lib. de Præscriptionibus. *Si ignoras tibi*, Pron. *Tibi* Latinè vacat, vel est datiuus acquisitiuus. tuo incõmodo, vel apud te. In vulgatis exemp. *Te* mendosè. Puto nostrum vertisse *apud te*. Et certè de eo non agitatur an se ignoret Ecclesia, sed an Christũ, & si eum ignorat, aut eius locum, qua ratione eum possit vel reperire, vel agnoscere.

9 Similem te facio equitatui meo, qui constat curribus Pharaonis. i. pulcherrimis & præstantissimis ô Sponsa. Vel, equæ meæ in curribus Salomonis. Nam סוסה *equa & equitatus*. Hoc simili, præter præstantiam & ornatum, designat celeritatem Ecclesiæ & diligentiam in vehenda nominis Dei gloria & prædicatione. Celebrantur equi Ægyptij adeo vt eos præstãtiæ causa magni emeret Salomon, 2. Par. cap. 3. Reg. 10. Equitatũ suum appellat equitatum Salomonis, non quo ipse vehitur, sed quo Salomon vtebatur ipsius dono & beneficio. Nam etiam Reges Deo cuncta debent

ferre accepta. Hinc Rabbini ferè putant Iod affixum primæ personæ hîc abundare per paragogen, sícque Latinè esse expungendum. Nostri autem *Equitatui meo*. i. Cherubis, quibus quadriga mea vehitur Ezec.1. vel Apostolis, per quos Euãgelium in mundum inuexi, Abac.3. Quidam exponunt, Ad equitatum meum (vox enim Hebræa & equam & equitatum significare potest) quo vsus sum in currus Pharaonis, habui te pro amica. Habes historiam Exod.14.& 15.

10 Per genas pudorem intellige qui in genis elucet, per collum, per quod cibus distribuitur & caput. i. Christus in inferiora influit, Apostolos & Prophetas, Midras. *Genas* Mosen & Aaronem. *Collum* Sanedrin siue iudices ordinarios interpretatur. *Sicut Turturis* תור Turtur Prop. auis pudicissima & mansuetissima. Hîc murænula præferens speciem Turturis. ex Abben Ezra. כ sicut, ב pro ב, *in* legerunt 70. & noster. Vel habuerũt ratione͂ sente͂tiæ. Veluti Turturibus siue murænulis ad Turturis speciem effigiatis, ornatas habes genas, veluti monilibus collum. חרוזים *haruzim* aiunt esse gemmas perforatas filo, inter se connexas.

11. Murænulæ aureæ vermiculatæ arge͂to siue conspersæ punctis argenteis, vt & monilia, varia dona & distributiones Spiritus Sancti: de quibus 1. Cor. 12. *faciemus* mysterium Trinitatis, vt Gen.1. *Faciamus* hominem.

12 Accubitus Regis huius designat præsentiam Christi in Ecclesia, de qua simili tropo Ioannes Apo.3. Cœnabo cum illo & ipse mecum: vide & nuptiarum cœnam, Apoc.19. & Matt.22. *Nardus* fides, vel iuxta Orig. bona opera. Dum Sponsus

est nobiscum, dum nobiscum accumbit & cœnat, Nardus & reliquæ plantationes eius. i. dona & virtutes in nobis dant odorem, fragrãt, prosiliunt in opus, exiliũt foras & fructus efferũt. Fortasse etiam respicitur ad præsentiam Christi corpoream. Nã efficacius omnia in nobis per Christum in carne & sacramentis ab ipso institutis sunt exhibita, quàm veteribus. *In accubitu suo.* *meseb* accubatio in orbẽ epularis, Gallicè *table ronde.*
13 Duo vbera, duo Testamenta, si nostros, vt debem⁹, sequimur: si Hebræos, duos Cherubim, inter quos diuinitas in Arca residebat, vel duos arcæ vectes (sicut) fasciculus myrrhæ est mihi dilectus. Eum, nempe suauem & odorum sentio instar fascis myrrhæi. Vel est mihi radix immortalitatis & causa vitæ sempiternæ. Myrrha enim symbolum incorruptionis. *Inter vbera.* Proinde eum è meo sinu instar serti florum & fascis myrrhæ non deponam. *Commorabitur*, pernoctabit, Prop. *Dilectus*, *Dod* 70. semper hic vertunt *ἀδελφιδοῦν* fratruelem, sororis meæ filium, id est, Synagogæ. Nam Ecclesia & Synagoga sorores duæ. Aliàs significat patruum, aliàs amicum siue amorem, dilectum siue dilectionem.
14 Copher, quem Cyprum vertimus, frutex est fructum edens odoratum. Hengadi autem vicus in Tribu Iuda prope mare mortuum, inter cuius vineta Cyprus & opobalsamum nascebantur, vt apud nos ficus aut malus persica. Est etiam desertũ huius nominis Ezech. 47. vbi Dauid latuit 1. Reg. 24 Hieron. de locis Heb. Spõsus est Sponsæ botrus cyprius. i. mirificus odor & suauitas, vel causa boni eius odoris & famæ. Nam simili-

tudines latiſſimè patent.


15 Oculi tui ſunt oculi Columbarum, nempe ſimplices,& caſti. Columba enim ſimplex eſt,vt è quodam Euangelij loco intelligitur.Item alteri quàm ſuo maſculo,nunquam iungitur. Vide Midras. Per oculos accipe Eccleſiæ perſpicacitatem in iis, quæ ad fidem, cultum Dei, & mores pertinent ſyncerè & abſque errore diiudicandis. Nam in his non hallucinatur. Vel iuxta Origenem rerum ſpiritualium cõtemplationem, quod Colũbæ ſpecie repræſentatus ſit Spiritus Sãctus.

16 *Et decorus*, ad verb.& ſuauis ſiue dulcis.Per lectum Hebræi intelligunt Tabernaculũ Moſis, & deinde Templum Salomonis. Nos ſedem Eccleſiæ, quæ pubet vernátque Verbo Domini, fide, timore, &c. Ducitur metaphora ab arboribus virentibus, quæ promittũt fructum. Pulcher autem dicitur Dominus, ex eſſentia. Nam illud vnum eſt ex 45.diuinis nominibus, quæ illi in Scriptura tribui annotauit magnusDionyſius. Is enim ca.4.ita de pulchro diuinè philoſophatur, τὸ θεῖον καλὸν λέγεται ὡς πάγκαλον ἅμα καὶ ὑπέρκαλον καὶ ἀεὶ ὂν κατὰ τὰ αὐτὰ, καὶ ὡσαύτως καλὸν, καὶ οὔτε γιγνόμενον, οὔτε ἀπολλύμενον, οὔτε αὐξανόμενον, οὔτε φθίνον. οὐδὲ, τῇ μὲν καλὸν, τῇ δὲ αἰσχρόν. οὐδὲ, ποτὲ μὲν, ποτὲ δ᾽ οὔ, οὐδὲ πρὸς μὲν τὸ, καλὸν, πρὸς δὲ τὸ, αἰσχρόν. οὔτε, ἔνθα μὲν, ἔνθα δ᾽ οὔ, ὡς τισὶ μὲν ὂν καλὸν, τισὶ δ᾽ οὐ καλὸν, ἀλλ᾽ ὡς αὐτὸ καθ᾽ ἑαυτὸ μεθ᾽ ἑαυτοῦ μονοειδὲς ἀεὶ ὂν καλὸν, καὶ ὡς παντὸς καλοῦ τὴν πηγαίαν καλλονὴν ὑπεροχικῶς ἐν ἑαυτῷ προέχον, τῇ γὰρ ἁπλῇ, καὶ ὑπερφυεῖ τῶν ὅλων καλῶν φύσει, πᾶσα καλλονὴ, καὶ πᾶν καλὸν ἑνοειδῶς κατ᾽ αἰτίαν προϋφέστηκεν. Poſtrema verba ſic libuit vertere. Deus dicitur pulcher,vt qui ipſe ſecũdum ſe,apud ſeſe vnica ſimplicique ratione ſemper ſit pulcher,ac vniuerſæ pulchritudinis fontanam elegãtiam ex-

Nota verba Diony.cap.4. lib. de Diuin.

cellenter in ſeſe in primis habeat. Simplici enim & ſupernaturali vniuerſarum pulchritudinum naturæ, omnis decor omnéque pulchrum vnicé & ſingulariter ſecundum cauſam primum ineſt. Vide ſcholia Maximi pag. 168. & ſeq.

17 Ædificium Eccleſiæ pretioſum, firmum & ſtabile è trabibus Cedrinis nunquam putreſcentibus & Cupreſſinis ſuaue olentibus, vnde ad Heb. 11. Fundamenta habẽs ciuitas dicitur, cuius artifex, opifexque Deus. Cedrus enim arbor ſublimis, nõ obnoxia putredini & ſempiterna coma viret. Plin. cap 21. lib. 16. nat. Hiſt. Quæ ſimilitudo etſi ad Eccleſiam in terris militantẽ accõmodari debeat, tamẽ in beata & triumphãte Eccleſia completior abſolutiórque erit, quum cœna nuptialis agni celebrabitur, & Eccleſia à morte exſuſcitata ac penitus ab omni peccato & dolore liberata, in thalamum beatæ & æternæ vitæ, lætitiæ & gloriæ intromittetur. *Laquearia* vel tigna, alienius Canales vel Ambulachra. Quas varias interpretationes Rabbin finxerũt, quia *Rahbit* tantùm hoc loco per ה occurrit. *Cypreßina* Berothina. Beroth quia hoc duntaxat loco reperitur, aliis eſt abies, aliis alia arboris ſuaue olentis ſpecies. Aliqui Sponſi verba eſſe volunt. Origenes amicorum Sponſi. Sed rectiùs Sponſæ.



CAP. SECVNDI ARGVM.

Alternis Sponsus & Sponsa virtutes suas canunt.

SPONSVS.

1 Ego flos campi,& Lilium conuallium.

2 Sicut Lilium inter spinas,sic amica mea inter filias.

SPONSA.

3 Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios.Sub vmbra illius quem desiderabam sedi , & fructus eius dulcis gutturi meo.

4 Introduxit me in cellam vinariam,ordinauit in me charitatem.

SPONSVS.

1 *Rosæ velut sum flosculus*
Campis virens Saroniis.
Sum sicut album Lilium,
Quod fragrat in conuallibus.

2 *Spinas vt album Lilium*
Excellit inter asperas:
Amica sic dulcis mea
Præcellit inter Virgines.

SPONSA.

3 *Qualem tenet malus locum*
Fœcunda, fragrans, mellea
Inter comatas arbores,
Densis vigentes saltibus.
Talem inter ille filios
Quem mente totum diligo.
Hinc eius vmbra gaudeo,
Sub hac sedere gestio,
Oblectat hinc me viuere,
Cuius probatis fructibus,
Nil est palato dulcius.

4 *Me duxit in vinarium*
Conclaue, flammulis ibi
Me charitatis imbuit.

5 Fulcite me floribus, ſtipate me
malis. Quia amore langueo.

6 Læua eius ſub capite meo, & dex-
tera illius amplexabitur me.

SPONSVS.

7 Adiuro vos filiæ Hieruſalem per
Capreas, Ceruóſque camporum ne
euigilare faciatis dilectam, quoadus-
que ipſa velit.

SPONSA.

8 Vox dilecti mei. Ecce iſte venit ſa-
liens in montibus, tranſiliens colles.

9 Similis eſt dilectus meus Capreæ
hinnullóque Ceruorum. En ipſe ſtat
poſt parietem noſtrum, reſpiciés per
feneſtras, proſpiciens per cancellos.

5 *Exinde amore langueo,*
Fulcite ſed me floribus,
Firmate ſed me odoribus,
Quos poma fundunt aurea.
6 *Me ſic iacentem languidè*
Sponſus ſiniſtra fulciet.
Me ſic amore ſauciam
Firmabit arctè dextera.

SPONSVS.

7 *Adiuro vos per Capreas*
Ceruóſque ſaltus incolas
O Sollymorum filiæ,
Ne eius quietem rumpite
Eiúſve ſomnum frangite,
Se ſponte donec excitet.

SPONSA.

8 *An non amantis audio*
Vocem mei? Celerrimè
Quàm montium currit iuga,
Quàm collium cacumina
Saltu citato tranſilit;
9 *Eſt Caprea pernicior,*
Eſt Ceruulo volucrior:
Poſt ædium muros adeſt,
Noſtríſque portis imminet.
En per feneſtras reſpicit,
Iam per clathros en exerit,
Suum coruſcum verticem.

10 Et dilectus meus loquitur mihi, Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni.

11 Iam enim hyems transiit, imber abiit & recessit.

12 Flores apparuerunt in terra nostra. Tempus putationis aduenit. Vox Turturis audita est in terra nostra.

13 Ficus protulit grossos suos. Vineæ florentes dederunt odorem. Surge amica mea, Speciosa mea, & veni.

14 Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, ostende

10 *Quin & per illos intuens*
Compellat his me vocibus,
Exurge nunc charißima,
Accurre formosißima,
Virgo veni Columbea.
11 *Iam nanque bruma transiit,*
Tempus receßit imbrium,
Serenitate iam nitet
Firmamen ante nubilum.
12 *Apparuêre flosculi*
Multis colorum millibus,
Putationis horula,
Qua mille iam concentibus
Cæli volucres personant,
Vitis flagellis ingruit.
Turtur sublimes obsidens
Tellure nostra palmites
Nunc voce garrit flebili.
13 *Iam ficus alma protulit*
Suos virentes grossulos.
Iamiam nouellis Vineæ
Se vestientes pampinis
Suaues odores spargitant.
Ergo veni charißima,
Ergo veni pulcherrima.
14 *Virgo Columbâ purior*
Quæ rupis huius in specu
Tollente se sursum lates,
Prodi cauernis è tuis,

mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.

15 Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliūtur vineas. Nam vinea noſtra floruit.

SPONSA.

16 Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter Lilia.

17 Donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ reuertere. Similis eſto, dilecte mi, Capreæ, hinnulóque Ceruorum ſuper Montes Bather.

Tuique vultus copiam
Mihi libenter exhibe.
Fac colloquentis obſecro,
Voces petitas audiam.
Nam mira verbi ſuauitas
Tuis labellis inſidet,
Et pulchra vultus dignitas
Te reddit expetibilem.
15 *Sed interim Vulpeculas*
Serui fideles prendite,
Noſtras vorantes vineas.
Nam noſtra vitis floruit
Botróſque Sorek protulit.

SPONSA.

16 *Vt ille totus eſt meus,*
Arctiſſimè quem diligo,
Sic totus ille mutuo
Totam ſibi me poſſidet,
Qui ſepta captans florea
Se paſcit inter Lilia.
17 *Nunc ergo dum ſe proferet*
Lux, dum dieſcet clarius,
Et noctis vmbræ concident,
Greſſu reuerte præpeti,
Dilecte vitâ charior,
Velocitate Capreæ
Pernicitate Ceruuli,
Ad Bather altos vertices.

COMMENTARIA IN CAP. 2.

EGo sum rosa quæ in planicie Saronia crescit. Est autem Saronitis planicies à Cæsarea ad Ioppem vsque, vt scribit Hieronymus, de qua mentio fit Esa. 33. & Actorũ nono. Videntur autem hæc Sponsæ verba, etiam si alij magna ex parte hîc Sponsum loqui velint. Superiore autem cap. Hebræi putant in genere descriptum esse amorem Domini & Ecclesiæ, hîc specialem proponi descriptionem, repetíque à principio, i. à beneficiis in Ægypto perceptis, vnde & ver depingi, quo liberatio Ægyptiaca contigit. Tu ad redemptionem per Christum respice, quæ & ipsa facta est mense Martio, veris initio, cuius Ægyptiaca erat typus.

2 *Vt lilium.* Susanna Hebraicè quibusdam rosam significat, contrà חבצלת, quod vertimus rosam, lilium. Nam Susannam, inquiũt, oriri inter spinas hîc dicitur. Hac de re sic Elias in Tisbi, Quidã, inquit, aiũt Susanna florem esse candidum, qui vulgo Lilium dicitur, atque ita vocari, quòd perpetuò habeat sex folia. Habatseleth verò esse rosam. Atqui id mihi videtur alienum, cum præsertim legamus, vt susanna inter spinas, & lilium nõ sit inter spinas. His opponimus D. Hieronymum & veteres Græcos, qui scribunt susanna lingua Punica esse lilium, & à liliis Susas, vrbem de qua in Ester, vocatã esse, vt & oleum Susinum, quod confectum est ex liliis. Cæterum his similibus si-

gnificatur suauitas Ecclesiæ. quantum Lilium præcellit spinas, tantum Ecclesia præsta inter filias, id est, cæteros hominum cœtus & concilia.

3 Quantùm malus præstat arboribus syluestribus,& odore & gustu, tantùm Christus reliquis omnibus.Hinc illud,Speciosus forma præ filiis hominũ.Ps.45.*Sub umbra*,Ad verb.Vmbram eius expetiui & consedi. Persistit in mali arboris metaphora.Vmbra gratia,fauor,refrigerium, virtus altissimi.Luc.1. *Fructus* verbum Dei. Quàm dulcia sunt,inquit,eloquia tua faucibus meis.Vel Sacramentum Corporis Domini.Manna enim Hebræis & Lyrano.

4 Per cellam vinariam Hebræi sanctuarium vel altare,vbi libabatur Domino,accipiunt,eò quòd in Sacrificiorum libaminibus,effunderetur vinũ. Nos arcana Dei quæ animos hominum inebriãt. Vel Sacramentum calicis, quod lætificat Deum & homines Iud. 12. Nam continet sanguinem Christi pretium nostræ redemptionis. *Ordinauit*, disposuit charitatem,vt eum scilicet amem supra omnia.Et certè charitas est Donum Dei.In Heb. metaphora est ab acie instructa, quum quisque militum sese recipit,& cogit ad suum ordinem & vexillum! *Vexillum eius super me amor*. Vexillum, quo congregat & attrahit Ecclesiam, amor est. Non enim dedit nobis spiritũ timoris, sed amoris & dilectionis.vt Paulus inquit. Metu & timore olim magis homines ad suæ legis obseruantiã pertrahebat.vide Epistolam ad Hebræos. cap.12.

5 *Fulcite me floribus*, florum odore.Heb.lagænis Nam אשישות sunt lagenæ, Chaldaicè verò fun-

daméta, vnde Chaldæus interpres hîc ita accepit. Pro ignibus, qui fessum fouent. Midras fulcite me lagænis vinariis, sternite mihi veluti strati loco mala, quorum odore ipsa recreer. Vino enim aut odoribus defectæ viros refici solent, vt indicat Salomon Prouerb. 31. Consolationes autem quæ petuntur è verbo Domini & fide his duobus significantur. Orig. hom. 3. in hunc libellum putat esse verba Ecclesiæ ad Sponsi amicos. i. Sãctos, qui cum Deo versantur & eos inuocare, vt ipsorum precibus ipsa fulciatur & substentetur in hoc mundo. Est insignis locus pro Sanctorum inuocatione.

6 Gestus amplexantis per dextram & sinistram innuitur. Significat igitur signa coniunctionis Christi cum Ecclesia, vt verbum, Sacramenta & cætera externa, quibus tanquam pietatis retinaculis suos in quadam vitæ communione continet. Me his, inquit, cunctis modis fouebit & sustentabit. *Laua eius, erit*, Eclipsis verbi substantiui crebra in hac lingua. Sibi promittit aduentum ad se Christi.

7 Hæc dicuntur more pastorali, & est iuramentum venatorum. Sponsus & Spõsa toto hoc cãtico sibi placent in solitudine, montibus, syluis & hortis, quoniam illis locis commodius & tranquillius oramus, cõtemplamur, philosophamur, &c. Septuaginta autem verterunt. Per exercitus & robora cãpi, quasi legerint אֱיָלוֹת vt Ps. 22. Et sanè nonnullis capreæ & hinnuli sunt hîc cælestes exercitus & virtutes. Lyrano Patriarchæ, vt Gen. 49. Nephtalim ceruus emissus. Abben Ezra symbola & fœdera cõnubii vt Prou. 5. cerua amo-

rum,pulchritudinis causa. *Ne suscitetis*, ne conturberis,à requie sua ne interpelletis.vel à pietate & virtute. *Dilectam*, amoré prop.i. amicam per Auxesim.Delicias meas.

8 Hic versus intelligitur de ope, quam Dominus,cum tempus est suis offert. Magna est celeritas,inquit, Christi ad opem ferendam Ecclesiæ, eámque visendam. Hebræi de prima voce Dei vocantis Ecclesiam ex Ægypto Exod. 2. & seq. Item ad Decalogum sanciendum in monte Sinai saliebat, &c. designata velocitate diuini descensus ad legem dandam.

9 Post parietem Ecclesiæ siue sponsæ stans inducitur,vt de improuiso nobis opem ferre,& quasi insciis hostibus præsto adesse intelligatur.Hebręi intelligunt nubem, quæ erat inter Deum & populum.Deus respiciebat per fenestras.i.aperturas illius nubis, emissis coruscationibus, lãpadibus, &c.*Similis capreæ* præ velocitate cursus ad subueniẽdum. *Prospiciens*,progerminãs propriẽ & enascens more fructuum.

10 Surge ex Ægypto,& impiorum cœtu,vt me colas securiùs & liberiùs in terra sancta, *Et veni rus*.Vnde sequitur rusticationis laus.

11 Veris elegans descriptio. Affertur autem ad hunc sensum,quo Christus Ioh.4.cùm significare vellet aduenisse tempus promouẽdi Euangelij,ait, regiones albas iam esse ad messem, Ait verò hyemem transiisse,pluuiam abiisse,vt ostẽdat, omnia vetera præteriisse,& nouis succedentibus abire in melius. *Hyems* tempus horridum seruitutis siue Ægyptiacæ siue alterius, maximè captiuitatis Satanæ. Vere exiit populus ex Ægypto. Vere

&c redemptus est à Christo, nempe 15. Martii.
12 Iam, inquit, tempus Veris, nempe tempus amœnum libertatis apparuit, iam apparuere signa salutis vestræ, imò verò iam allata sunt. Per flores initia bonorum operum & fidei intelligit. *Tempus putationis.* vitium. Nam verè veteres Vites amputantur, non arbores. Et sic interpretatur Epiph. hær. 59. contra Catharos. Vox זמר *zamir* etiam cantillationem significat, & concentum musicum. Vnde *Mizmorim* sunt Psalmi, conuenienter loco. Nam aues verno tempore cantillare solent, & garrire suauiter. Hic autem garritus auium plurimùm facit ad veris cõmendationem. Peregrè quippe proficiscentibus, camporúmque virorem captantibus gratus & iucundus esse solet, præcipuè autem turturis in terra Israëlitica. Sicque describitur prædicatio verbi Domini, in quo denuntiando vel ad laqueos vsque laborant pii Ecclesiastæ. Alii per cantillationem laudem Domini & confessionem accipiunt.
13 *Florentes.* Sic noster reddidit propter Hebraicam eclipsim. *Vineagemmam* siue florem protulerunt, indéque *dederunt odorem*. Nam סמדר propriè racemum significat, qui primùm exuto flore dignosci incipit. Paulò enim grandior & tamen acerbus, quem Græci vocant omphacen vocatur בוסר, vt iam maturus, ענב. *Et veni tibi* rus.
14 Hic sponsam comparat columbæ, propter simplicitatem & fidem coniugii, de qua Aristoteles libr. 9. de histor. animalium cap. 7. *Petræ.* in habitaculis terræ sanctæ, quæ ferè montosa. nam eo alluditur. *Maceria*, gradus prop. O co-

lumba mea, quæ agis in latibulo gradus siue in scalis & quasi gradibus.i.in rupibus præruptis, ostende mihi faciem tuam. Quod pertinet ad Ecclesiam, quatenus quærit latebras, vt fugiat persecutiones. Facies autem siue aspectus Ecclesiæ, vt scriptum reliquit Carolus magnus quodá loco, cognitio virtutum eius est, cuius pulchritudinis venustate ab Sponso diligitur, cui per Prophetam dictum est. Quoniam cócupiuit Rex speciem tuam. Hortatur ergo Christus Ecclesiam, vt faciem suam ei ostendat, id est, vt semper eum contempletur fide & operibus, vt cum Elia dicere possit. Viuit Dominus in cuius conspectu sto, ne sit de illis, quos per Prophetam denotat dicens, verterunt terga ad me & non faciem. Hortatur etiam, vt vox eius sonet in auribus illius: quia paratus est ad exaudiendum sanctos suos. Psalmista attestante, Clamauerunt iusti & Dominus exaudiuit eos, & ex omnibus tribulationibus liberauit eos. Vocem eius dulcem. Quia orationes sanctorum semper Deo acceptæ sunt. Atque hæc quidem ille.

15 Per vulpes Hebræi intelligūt Ægyptios. Nos eos omnes qui interea dum vineæ nostrę gemmá proferunt.i. Ecclesiæ aliquam bonorum operum frugem pollicentur, gregem Domini sectis & factionibus infestant, aut etiam persecutionibus à recto auertere moliūtur. *Vulpes* in fonte per Asintheton duplicatur. Prehendite nobis vulpes (&) vulpes paruas. i. vulpeculas. Vulpes sunt hæresiarchæ & ministri, vulpeculæ istorum sectatores & discipuli, vel vulpes potentiores hæretici, vulpeculæ tenuiores.

16 Dominus pascit gregem suum in Liliis, hoc est, suauissimo & cõmodissimo pascuo, vt Præp. *In* Latinè abũdet: aut vt alij volunt per loca candida, florida & amœna, de quo vide Esa.30. & Psal.23. Dominus pascit me. Alij passiuè interpretãtur, Dominus pascitur inter Lilia & loca amœna. Posset traduci ad futuram vitam, de qua scriptum Apocalyp 7. Non esurient vltra, neque sitient, nõ cadet super eos Sol aut vllus æstus, quia Agnus qui est in medio Throni pascet eos, deducétque illos ad viuos aquarum fontes, abstergẽs omnem lachrymam ab oculis ipsorum.
17 Donec, quousque, priusquam, vel quandiu. Nostri & R. Selomo iungunt cum præcedentibus, Dilectus est totus meus, & ego vicissim sum tota illius, donec spiret dies & fugiant vmbræ, id est, quoad vixero, quousque videlicet venerit dies alterius sæculi, & inclinarint vmbræ mortis, vel quousque venerit dies iudicii & consummationis sæculi: Tum enim dies erit clarissimus, & noctes mortis vt vmbræ perierint funditus. Vel iuxta R. Selomo, quousque veniat dies peccati, quousque peccem & per peccatum, illius esse desinam. Alii propter distinctiones Masoreticas sequentibus annectunt. Donec aspiret dies, & inclinentur. i. fugiant, nullæque sint vmbræ conuerte te ad montes Bather. quandiu æstus diei vigebit capta vmbras montiũ. vel quousque (priusquam) dies accreuerit fugientibus & abeuntibus huius noctis vmbris, diuerte ad illos odoratos montes, vt illic totum diem transigas mecum suauiter. Illuc enim te sequar. Nam paulò ante Auroram hæc vidẽtur dicta. Quandiu spirabit æstus

diei, vel ex Abben Ezra ventus diei, qui calidus est in terris calidis qualis terra sancta, recipe te te celeriter ad montes præruptos & sectos (nam Bather sectionem significat) refrigerij causa, vt illic videlicet requiescamus & captemus vmbram. i. vt cruces & afflictiones persecutionum vitemus, vel huius mundi discrimina & molestias. Sic & claudet librum, nisi quòd pro *montibus sectis* dicet *montes Aromatum*. Alii putāt hæc sub vesperam dici, & inclinationem vmbrarum intelligunt prolapsionem, quando longiores maioresque cadunt altis de montibus vmbræ, ob Solem iamiam sese inflectētem ad Antipodas. Dum adhuc dies est & vmbræ incipiunt inclinari & cadere, proripe te in montes Bather odoratissimos. Ne te nox apprehēdat priusquam illò perueneris. Chaldæus hæc in malam partem accipit, quasi Sponsa Sponsum à se paulisper dimittere abiréque velit. Deinde nonnulli עד pro עוד explicāt, hoc sensu, interea dum spirat dies, &c. vt superiore capite, interea dum Rex in accubitu suo. Sed nihil est necesse, allusit autē ad Ceruam, quæ hinnulos suos ad saxa vno aditu rupta identidem ducit, vt quò refugere debeant, agitati à canibus habeant exploratum, de quo Arist. 5. cap. libri noni de Historia Animalium. Montes Bather, qui illa tempestate noti erāt i. diuisionis, adumbrant loca Ecclesiæ vel loca quietis, quòd populum Domini à cæteris diuidant, vel cælum, quòd immortales à mortalibus & miseris dirimit. Sic autē vocat antra & abruptas multifidásque concauitates montium, in quas sese pastores recipiunt æstu meridiano, dum viget diei ardor

& fugiunt vmbræ. Fugiunt autem vmbræ, quia lux, quæ tum multa est, fugat tenebras, & vmbras nullas aut exiguas iactari sinit. Ita fingitur huius eclogæ argumentum verno tempore iam progresso, cum ad captandum frigus æstúmque depellendum sub montium antris recubare homines cupiũt. Idem tempus supra indicabatur Turturum & Columbarum gemitu. Plinius. Palumborũ vtique exaudiẽs gemitus, transisse Solstitiũ caueto putes, nisi cum incubantem videris Palumbem. *super montes Bather.* Debet construi cum verbo *Reuertere*, vt reliqua sint interposita per parenthesim.



CAPITIS TERTII ARGVM.

Sponsa Sponsum paulò ardentius quæritans à Sponso corripitur.

SPONSA.

1 In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligo. Quæsiui illum & non inueni.

2 Surgam & circuibo ciuitatem: Per vicos & plateas quærã, quẽ diligit anima mea. Quæsiui illũ & non inueni.

3 Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem. Num quem diligit anima mea vidistis?

SPONSA.

1 *Noctu recumbens lectulo*
Iunctum mihi sanctißimè
Partes in omnes quæsij,
Illum tamen nec repperi.

2 *Nunc ergo surgam (dictito)*
Totum pererrans oppidum.
Vicos per omnes deferar,
Per cuncta quæram compita,
Charißimè iunctum mihi.
At ille non apparuit,
Quem mœsta valde quæsij.

3 *Flens oppidi custodibus*
En, inquio num visus est
Is forte vobis transiens,
Amore cuius ardeo.

4 Paululum cùm pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam, donec introducam illũ, in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.

5 Adiuro vos filiæ Hierusalem per Capreas Ceruósque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectum, donec ipse velit.

SPONSVS.

6 Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus Myrrhæ & Thuris & vniuersi pulueris pigmentarij?

7 En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israel.

4 *Vix hinc ego discesseram*
Occurrit ille cum mihi,
Mens vnicè quem diligit.
Hunc protinus firmißimis
Prehendo læta brachiis,
Laxabo nunquam pertinax
Donec domum pertraxero,
In qua genitrix considet,
Illinc meæ deduxero
Parentis in conclauia.
5 *Adiuro vos per Capreas*
Ceruósque saltus incolas,
O Sollymorum filiæ,
Hanc ne quietem rumpite,
Hunc ne soporem frangite,
Se sponte donec surrigat.

SPONSVS.

6 *Hæc, oro, quænam, est inuia*
Deserta tristis peruagans,
Fundens vaporum virgulas,
Quos Myrrha spirat suauior,
Quos thura mittunt Indica,
Quos vniuersi pulueres
Spargunt aromatarij.
7 *En Salomonis lectulus:*
Quem sexageni milites
Ex Israelis fortibus
Toris valentes ambiunt.

8 Omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi : Vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos.

9 Ferculum fecit ſibi Salomon de lignis Libani.

10 Columnas eius fecit argenteas, reclinatorium eius aureum, aſcenſum purpureum. Media, charitate conſtrauit propter filias Ieruſalem.

11 Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in Diademate, quo coronauit illum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.

8 *Manu prehensis ensibus*
Ad bella sunt doctissimi.
Coxæ machæras alligant,
Ne quid per atrum noctium
Somni quietem terreat.
9 *Dauidides idem sibi*
De Libani struxit Cedris
Illustre valde ferculum.
10 *Id hinc & hinc argenteæ*
Firmè columnæ fulciunt,
Instrata cuius infima
Fulgore clarent aureo:
Velamen eius exterum
Rubente splendet purpura.
Constrantur eius intima
Sanctæ Sionis Virginum
Purissimis amoribus.
11 *Hîc ergo adeste Virgines*
Sanctæ Sionis incolæ.
Hic Sollomonem cernite
Regem corona fulgidum,
Qua cinxit eius verticem
Parens corusca laudibus,
Qua luce per sponsalia
Sanctam, refertus gaudio,
Sibi parauit coniugem.

COMMENTARIA IN CAP. 3.

1 SEcundus actus, noua scilicet narratio, vsque ad secundum versum quinti capitis. Nam non modò sententia à superioribus diuulsa est, verum etiam alio tépore dicta, actáque. Nocturno videlicet, nō vt illa, diurno. Nocte nos sic gerere debemus, vt vnum Dominum somniemus, cogitemus, affemur, precemur, iuxta illud Apostoli, Siue vigilemus, siue
1.Thes.5. dormiamus, simul cum illo viuamus. 1.Thess.5. Hinc hîc Sponsa quid nocte egerit erga suum dilectum, explicat. *Quem diligit anima mea*, quem ex animo diligo & ardenter. Periphrasis Dilecti ad vim charitatis exprimendam, allusione ad mandatum, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, &c. *Quæsiui illum.* Nam in eodem lecto mecum esse putabam, propè me.

2 Tunc dixi apud me *Surgam.* Ardor charitatis & amoris in zelum, quasi in transuersum Spósam abripit, vt non vereatur noctu vagari per media tenebrarum silentia & pericula. Per noctes intellige afflictiones, per lectum sedem Ecclesiæ, per ciuitatem, vicos, plateas, loca, in quibus agere solet Christus, per custodes pastores cæcos & indoctos, aut etiam pestiléres ingenio, doctrina, moribus. *per plateas.* Masorethæ iunxerunt cum verbo præcedenti *Circuibo.* Nam ibi pinxerunt zakeph katon accétum, maximè omnium

post Soph pasuc & Athuah distinguentem. Circuã vrbẽ per vicos & plateas (Et) quærã meũ dilectũ. Rectiùs cum sequentibus Circuam vrbẽ, & per vicos & plateas dilectum meum quæram.

3 *Vigiles*, custodes vrbis, circitores, siue circuitores: in malam partem. Nam infra cap. 5. dicet se ab istis custodibus fuisse vulneratam, ita prauos magistratus, vel, vt iam dixi pastores adumbrat. *Quem*. an eum, quem.

4 Dominum inuenire, est eius gratiam, dulcedinẽ & Spiritum sentire, qui testimonium conscientiis nostris perhibeat, quòd filij Dei simus, vel ab eo DOMINO liberationem è malis cõsequi, propter quæ absentem esse illũ putabamus. Illũ tenet, ac prehẽdit, qui ab ipso ipsiúsque fide, cõfessione & cultu separari non vult. *In domum matris meæ*, in Synagogam, è qua prodij secundum Spiritum q.d. repertum Christum nõ relinquam donec eum in Synagogam introduxero, quæ me per Apostolos lauachro vitæ per verbum Dei genuit. Vbi intrauerit plenitudo gentium, omnis Israel saluus fiet. in quo ex parte cæcitas contigit, Róm. 11. Es. 59. *Et in cubiculum genitricis meæ*, in totam meam gentem, è qua secundum carnem genita sum & aggregata. Aliàs mater nostra omnium est Ecclesia vniuersalis vt apud Aug. cap. 11. libr. 1. conf. *Cubiculum*, Heder, conclaue prop. penetrale & interius cubiculum.

5 Hic versus cum septimo superioris capitis idem est prorsus, nisi quòd hîc loquatur Sponsa, ne quis interturbet Sponsi somnum, vti ex præcedentibus & sequentibus intelligitur, illic Sponsus de Sponsa. Malunt alij, vt supra, vertere

dilectam, vt filiæ Hierusalem secundò adiurentur, ne Ecclesiæ molestæ sint, neque eius somnum & quietem per schisma, hæreses, factiones, motus, persecutiones interpellent, quo defatigata sit quærendo tota nocte Sponso. Alioqui ipsas non id impunè laturas. Nam Hebraicè ad verbum. *Adiuro vos, si suscitetis*, formula ecliptica, vt subaudiatur, *dispcribitis*, aut quid simile. Si suscitetis aut euigilare faciatis dilectum vel dilectam, sanè peribitis, sanè pœnas luetis grauissimas. *Dilectum*, amorem prop.i. Amicum, dilectũ. per Auxesim. Anonymus abstractum retinet, Ne excitetis, ne turbetis amorem, amicitiam, dilectionem, quæ inter nos intercedit. Sic R. Selomo, ne dissoluatis, vel minuatis amorem meum de ipso conceptum.

6 Hæc sunt verba Sponsi, vel si credimus R. Selomoni gentium exterarum, admirãtium speciem Ecclesiæ, formam, dotes, opes, & gratias, & eam interim solam intrepidè per deserta vagari. Quænam est ista sola è deserto prodiens, cũctis interim dotibus & gratiis ornata, quarum fama & celebritas longè latéque spargitur & fumigat, vt myrrha, thus, aliíque pulueres aromatici suos odores amplissimè fundunt. An non sibi à periculis ferarum & latronum timet, an non alium habet locũ, in quem sese tutò recipiat, an caret dilectò æquè specioso & illustri, qui eã desponset & in suã familiã attrahat. Kimhi mauult loqui Spõsam de iis, quæ Sponsus de se, vbi eam primùm vidisset, dixerat. Porrò fragrãtia, quam tribuit Ecclesiæ, ipsius dotes, charismata & gratias adũbrat. Fumus siue suffitus odorem bono-

rum operũ. Thus cum vniuerso puluere pigmẽtarij suauitatem orationis. *Per desertum*. Mundus desertum, quia vacuus gratia Dei, benedictione & rore spiritali. *Virgula*. ad verbum. sicut palmæ fumi. i. columnæ fumi odorati recta in altum assurgentes præ copia. *Ex aromatibus*. ex suffitibus myrrhæ. Ad verbũ, aromatizata siue suffita myrra. *Mekuttereth*, in Partic. suffiri facta. Indicat Spõsã suũ suffitũ siue odoren habere ab alio. i. à Deo. quidquid boni inest in homine à Deo est. Ne quis glorietur. Noster videtur legisse *Mikketóreth*, nomine cum præp. iuncto. Quanquam sensus eodẽ recidit. *Pigmentarij*. i. eius qui pigmenta siue aromata vendit, Rochel aromatarius.

7 Quare te, & quidem nocturno tẽpore non recipis ô Sponsa ad lectũ Salomonis, cur ad illũ non diuertis relicto huius mundi deserto. En ille adest tibi in promptu. Nam ad verbum. Ecce lectus Salomonis, circũ quem sexaginta fortes de potentioribus Israel: *Voicy le lict de Salomon, que n'y venez vous? il est si fort & sur*. Te illic faciẽ recipiet, nam tuas ambit nuptias. Aposiopesis, ecce, adest, tibi propositus est & destinatus. Digito enim ostendit lectum, in quem tuto se ipsa possit recipere. Eámque inuitat noctu per deserta vagãtem & periclitantẽ, ad tutum, firmum & securũ locũ Salomonis, id est, ad Sedem Mosis, siue veteris Synagogæ, Ecclesiæve propheticæ, quandiu illa viguit, ad sedem Christi & Apostolorum, quæ illi successit. i. ad locum religionis, relictis gentium desertis & vastitatibus. Hinc Hebræi lectum Salomonis interpretantur Tabernaculum Mosis, indéque templum à Salomone cõstructum. q. d.

Tete ô deſertorum peruagatrix recipe deſertis illis relictis ad locum religionis, inſtructum firmis præſidiis ad te tuendum, lectum ſcilicet in quo requieuit Salomon, in quo iacuit, Deo ſeruiit, &c. Parùm aptè aliqui hîc putant Sponſum loqui de ſe in tertia perſona, ſéque appellare Salomonem, cum loquatur quidem Sponſus, ſed de Salomone ipſo huius lecti ſtructore. Nam Hebræi rectè docent vbique in hoc libro nomen Salomonis eſſe חול *profanum*, vt eo Rex ipſe Salomon libelli huius ſcriptor intelligatur, tametſi Midras contrarium affirmet, & vbique ſacrum putet de Domino. i. Deo vel Meſſia rege pacifico. O Sponſa cur nocte ſic vagaris, immò verſaris in periculis me quæritando. En adeſt in propatulo lectus Salomonis, in quo me reperias. Chriſtus inuenitur in Moſe, Salomone, Prophetis, Apoſtolis, eorúmque omniũ ſedibus, in quibus Deum coluerunt, & purè colendum docuerunt. Sed mẽtio fit nominatim Salomonis, quòd is templum, ſedem Eccleſiæ pontificiæ & propheticæ illius temporis condidiſſet. Quod ſequitur de Ferculo eodem pertinet. En adeſt ferculũ Salomonis precioſiſſimum & ditiſſimum, ad illud recurre. Illic me citra deſertorum peruagationem reperies & tutò quieſces. Hebræi ferè vtrobique malunt eſſe argumentum à maiori, reprehendíque Sponſam, quòd ſola auderet per deſerta verſari. Salomon adhibuit cuſtodes multos ad lecti ſui cuſtodiam, veritus ne quis ſibi Sponſam eriperet & violaret, & tu intereà ſola audes per ſolitudines vagari? Sed melius noſtri, non reprehendi Sponſam, ſed eam, quæ inuenta

eſſet in deſertis, inuitari ad lectum ſiue ſedem Solomonis literalis, vel iuxta illos ſpiritualis.i. Chriſti, in qua excubias agunt ſexaginta fortes, vt ſi qui eam vellent rapere vel lædere, non poſſint præ præſidio. Hi ſunt pii paſtores, itémque angeli, à quibus quaſi externis nulla eſt proditionis ſuſpitio, qui norunt pugnare cum Satana, & reliquis omnibus periculis errorum, ignorantiæ, cęcitatis.i. noctis. Ecce ne vagare, habes lectũ & thalamum tutum, firmatum optimis præſidiis, ad quem venias & in quo Salomonem ſpiritalem reperias. Oſtendit ei locum in quo ſit repertura Sponſum. Chriſtus non eſt quærendus in deſertis, &c.i. extra Eccleſiam catholicã. Ecce autem δεικτικῶς, quaſi Chriſti locus & Eccleſia ſit aperta, veluti in monte poſita. Cæci ſoli dubitant. Nam alioqui habet certas notas.

8 Omnes gladio ſunt accincti, inſtrumentíſque quibus te tueantur, ſunt rei militaris peritiſſimi & valdè exercitati ad cõfligendum cum Satana, & eius adminiſtris. Arma ſpiritualia his externis ſignificata explicantur ab Apoſtolo Eph. *6. Propter timores nocturnos*, errores, ignorantiam, peccata, pericula vitæ ſpiritualis & temporariæ. Ad verbum, *A timore noctium*. Aduerſus ea quæ noctu occurrere ſolent infœliciter.

9 *Ferculum*, id eſt, geſtamen Pompaticum. Sic appellat tentorium quadratum geſtatorium, ſiue cameram motoriam & portatilem, in qua thronus erat Regius, etſi nihil neceſſe eſt vt fuerit motoria. Itaque malo vt *Apirion* ſit ſimpliciter thalamus, vel thronus regius cum ſuo Tabernaculo. q. d. Relicta hac ſolitudine diuerte ad lectum


Salomonis.i.locum religionis & communionis propheticæ,quē magnificè ſtruxit & muniit Salomon,vnde Hebræi intelligūt templum ab ipſo è Libani Cedris & pretioſa alia materia constructum. Præterea ad ferculum ſiue locum Throni Regij,quem pretioſè & glorioſè fabricauit Salomon,vt in eo Reges ſpectarentur, & affulgerēt cùm ſua regia dignitate,maieſtate,gloria.q.d.Tu es digna pontificiæ & regiæ maieſtatis cōſortio, es digna quæ ſis particeps pontificatus & regni, quæ ſis cōſors pontificij regijque throni. Nam hoc Ferculum eſt ſymbolum throni regij.Sic vocat è deſerto & ſolitudine gētium Eccleſiam primùm ad communionem religionis propheticæ & dignitatis Pontificiæ, quam olim in ſuo templo magnifico Salomon collocarat & fixerat, cū anteà eius ſedes vaga eſſet ac motoria pro locis, in quibus Tabernaculum & Arca transferebantur. Secundò ad locum & conſortium regiæ maieſtatis, quæ Hieroſolymis vrbe regia præcipuè emicabat. Significat venturam Eccleſiam è deſertis gētium ad communionem Synagogæ, vbi ornetur throno Dauidis.i.duplici dignitate pontificia & regia,de quo Epiphan.hæreſi.29.Thronus Dauid & regia ſedes eſt Sacerdotium in ſancta Eccleſia,quam dignitatem regiam, ſimúlque pontificiam ſimul coniunctim largitus eſt Dominus Eccleſiæ ſuæ, tranſlato in ipſam Dauidis Throno, non deficiente in æternum. Ferculum Eſſedum vertit Beza,vehiculi gallici genus.Eum fortaſſe fefellit mea interpretatio anni 1570. prælis Martini Iuuenis emiſſa cum trium Rabbinorum conuerſione,vbi ego *Lecticam* verti.Sed nūc

me corrigo. Primùm quia nullus Hebræorum ita vnquam ſenſit,ſed omnes,vt Kimhi & R.Selomo Thalamum Sponſæ honorificũ,cui opponatur מטה *mitta* lectus Sponſi,vel vt Abben Ezra & Anonymus,Palatium, ædẽ ſumptuoſam & regiam interpretati ſunt.Deinde quia hîc habere dicitur עמודים columnas ſtãtes, id eſt, erectas & in altum aſſurgentes, quod lecticis & vehiculis minimè congruit.

10 *Reclinatorium*.ſtratum pauimento impoſitũ, ſupra quod quis ſe reclinarepoſſit.Pauimentum intelligit,quod pedib⁹ ſubſternitur. Hoc ait eſſe aureũ.i.auro conſtratũ. *Aſcenſum*,auleum aſcendens.i.amplè ſe expãdens & pertingens è pertica in perticam,volubile ad ſpectãda interiora,Gall. *rideau*. metaphora ducta à ſtratis ſiue ephippiis equorum.Hinc R.Salomon velum intellexit ſiue cortinam purpureã Tabernaculi huc illuc volubilem ad conſpiciẽda velaminis interiora. Nam Hebræis hoc ferculum pingit templum è lignis Libani conſtructũ.Alij accipiunt operimentum, aulæum videlicet ſiue periſtroma, quod trabes obtegit.Nam *Mercab* prop. ſtratũ iumentorum, ſiue ephippiũ &quicquid iumẽtis ſuperſternitur. *Media eius*. i. interiora. Sic appellat quicquid erat intra hoc ferculũ ſiue Thalamũ præter reclinatorium ſiue ſtratũ.i.pauimẽtum. Iam enim illud dixit fuiſſe aureũ. Porrò cuncta iſta interiora *conſtrauit*.i.obtexit,obduxit, ſculpſit & ornauit *charitate*, amore filiarũ Hieruſalẽ. i.per metonymiã iis,quæ amorẽ charitatẽ conciliant filiabus Hieruſalẽ,vel rebus quæ eas ad amorẽ pelliciũt q.d. omnia intima illic pertinent ad conciliandam

charitatẽ. *Propter filias Hierusalem.* i. vt eas ad hoc ferculum vel thalamũ pelliciat, contemplãdum. Itaque egredimini ô filiæ Hierusalẽ,&c. vt sequitur. Ad verbum, Amore de filiabus.i.filiarũ,amore pelliciẽte filias, vel amore propter filias, vt, væ mundo à scandalis. i. propter scandala. præp. מן à,de,præ,propter. Amor siue charitas filiarũ metonymicè, res amabiles, charæ, expetitæ filiabus.
11 PER Apostrophen ex abrupto se cõuertit ad filias Hierusalẽ, vt earum exemplo vehementius excitet ac alliciat Sponsam ad diuertendũ in hãc throni ædem, in qua Salomõ cum suo regio ornatu & diademate pretioso auro gemmísque radiante spectatur. Igitur ô filiæ Hierusalem, cum hoc ferculum constratũ sit amore siue charitate vestra.i.rebus, quas amatis, cũ eius sit tanta magnificentia, adeste. Egredimini è vestris thoris & cubilibus, in quibus noctem hanc traducitis, & contẽplamini in hoc ferculo regem Salomonem cum illo pretioso diademate, quo eum mater sic redimiuit.i.gens sua & natio (hinc Hebræi Synagogam exponunt) vel etiã Betsabæa, quo die sibi filiam Pharaonis despõsauit Alludit ad morem, quo Sponsaliorũ Regis die populus & Principes munera ei offerebant sumptuosa in symbolum grati animi,& erga ipsum voluntatis & obseruãtiæ. Mysticè Christus est Salomon Rex pacificus, filia Pharaonis, quã Salomon sibi tam magnificè & pretiose desponsauit, Ecclesia gentium primariarum Christo desponsata magno pretio, id est, sanguine ipsius. Mater natio Iudaïca vel Virgo. Diadema regium gloriosa eius humanitas, qua caput ipsius, (id est, diuinitas) co-

ronatum fuit & cinctum, quæque gemmis gratiarum, virtutum & perfectionum radiat. Dies Sponsaliorum (quem eundem appellat diem lætitiæ) dies aduentus Domini in carnem. Adeste filiæ Hierusalem i. Ecclesiæ Gëtium vel Synagogæ Iudæorum, quarum omnium mater est Sion. Nam ab ea tanquam à matrice & prima religionis sede proceditis. Et illic videte, vt gẽs Iudaica vel Virgo eum humana substantia regiis donis & vnctionibus illustri, maiestate & dignitate Messiæ gloriosissima coronauerit cinxeritve, in aduentu suo in carnem, indéque Synagoga ex Apostolis & Discipulis sumpta, è qua ipse prodiit, carnémque sumpsit, ipsum supra se Regem constituerit, agnoscite & vos eum Regem, Osculamini filiũ, ne quãdo irascatur Dominus (Psal. 2.) Aliqui referunt ad mysteriũ passionis. Et si enim gẽs Iudaïca ridiculè ei infixit coronam spineam, & cætera regni symbola, tamen sua prouidentia Spiritus Sanctus in seria vertit, ac inde docuit Christum verè Regem esse Iudæorum, & à singulis talem habendum. Hebræis Corona mater redimiuit Sponsum. i. omnia ei detulit Synagoga, quæ, vt annotant in Midras pro Sponsi affectu, nunc dicitur Sponsa, nunc filia, modò mater, modò soror. Sic in Euangelio, qui egerit voluntatem Patris mei, is meus est frater, soror, mater, Mat. 12. Kimhi in Rad notat matrem Salomonis hîc nationem ipsius dici, אמן *Immò*, pro אֻמָּתוֹ *vmmatho*. Sic Ierem. 5 Introduxi super matrem, Chald. vertit סיעת cœtum.



CAP. QVARTI ARGVM.

A decoro & concinnitate singulorum membrorum Sponsa extollitur.

SPONSVS.

1 Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es! Oculi tui Columbarum, abſque eo quod intrinſecus latet. Capilli tui ſicut greges Caprarum, quæ aſcenderunt de monte Galaad.

2 Dentes tui ſicut greges Tonſarum, quæ aſcenderunt de lauachro. Omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt inter eas.

3 Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce. Sicut fragmen mali Punici, ita & genæ tuæ, abſque eo quod intrinſecus latet.

SPONSVS.

1 *Quàm pulchra tu chariſsima,*
Quàm pulchra tu iunctiſsima,
Habes Columbæ lumina,
Habes decoros vndique
Tui capillos verticis,
Tam qui latent intrinſecus,
Quàm qui patent extrinſecus.
Quali pilo nos cernimus
E monte Galad paſcuo
Greges redire Capreos
2 *Iunctos & albos dentium*
Habes gemellos ordines,
Quos compararim candido
Tonſæ bidentis velleri,
Quæ cum ſuis gregalibus
Nitente ſcandit ex aqua.
Vbi gemellis fertiles
Spectentur omnes fœtibus.
Nec inter illas conſpici
Effœta poſsit vnica.
3 *Habes labella gratiæ*
Ad coccinæ vittæ modum,
Fauis habes & melleis,
Vocem fluentem dulcius,
Quali rubore fragmina,
Mali rubeſcunt Punici:
Tali genis rubes tuis,

4 Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.

5 Duo vbera tua, ſicut duo hinnuli Capreæ gemelli, qui paſcũtur in Liliis.

6 Donec aſpiret dies, & inclinentur vmbrę, vadam ad montem Myrrhæ, & ad collem Thuris.

7 Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.

8 Veni de Libano Sponſa mea, veni de Libano veni, coronaberis de

Præter capillos tortiles,
Quos condis intrò coccinis.
4 *Collo rotundo promines*
Cincto decoris torquibus,
Gemmis & auro fulgidis,
Qualis Dauidis eminet
Instructa turris arcibus,
Illinc & hinc pendentibus,
Plus mille belli vmbonibus,
Armísque cunctis fortium.
5 *Habes dicata paruulis*
Duo educandis vbera,
Cremore plena lacteo.
Quales gemelli Capreæ
Duo videntur hinnuli,
Qui delicatis floribus
Pascuntur, atque liliis.
6 *Sed dum diescet clarius,*
Et noctis vmbræ concident,
Adibo montem Myrrheum,
Adibo collem Thureum.
7 *O Sponsa vitâ charior*
Es tota formosissima,
Es labis omnis nescia.
8 *Ergo veni, Sponsa ô mea*
Prodi celer de Libano,
Ex eius exi montibus.
Amaneo de culmine,

capite Amana , de vertice Sanir &
Hermon, de cubilibus Leonum, de
montibus Pardorum.

9 Vulneraſti cor meum, ſoror mea
Sponſa, vulneraſti cor meum in vno
oculorum tuorum, & in vno crine
colli tui.

10 Quàm pulchræ ſunt mammæ tuæ
ſoror mea Sponſa. Pulchriora ſunt
vbera tua vino, & odor vnguento-
rum tuorum, ſuper omnia aromata.

11 Fauus diſtillans labia tua Sponſa,
mel & lac ſub lingua tua: & odor ve-
ſtimentorum tuorum, ſicut odor
thuris.

Sanireo de vertice,
Hermonis è cacumine,
Leonis è cubilibus,
Pardíque celsis rupibus
Feres coronam regiam,
Gemmis & auro splendidam.
9 *Exulcerasti cor meum*
Amoris alto vulnere,
O Sponsa dulcis & soror.
Me sauciatum possides
Vno tuorum luminum,
Vno tuorum torquium,
Collum quibus cingis tuum.
10 *Quàm pulchra gestas vbera,*
O Sponsa dulcis ô soror!
Sanctos amores inserunt
Meri Falernis omnibus
Præstantiores potibus.
Tua vt fragrant plus vnguina
Quàm cuncta Iudæ balsama.
11 *O Sponsa labris iam tuis*
Fauos adæquas melleos.
Lingua liquorem lacteum
Stillámque dulcem depluis.
Quocumque virgo commeas
Tuis odoris vestibus,
Ad thuris instar, fumigas,
Quod mons propagat Libani.

12 Hortus cõclusus Soror mea Sponsa, hortus conclusus, fons signatus.

13 Emissiones tuæ paradisus malorum Punicorum, cum pomorũ fructibus. Cypri cum Nardo.

14 Nardus & Crocus, fistula & Cinnamomum, cum vniuersis lignis Libani, Myrrha & Aloë cum omnibus primis vnguentis.

15 Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt cum impetu de Libano.


12 *Conclusus hortus es Soror,*
Es Sponsa clausus hortulus.
Fons obseratus, regia
Quem muniunt signacula.

13 *Hortus quidem, quo germinant*
Mali rubentes Punicæ,
Hîc omne pomorum genus
Fructus propagat dispares.
Hîc botrus efflat Cyprius.
Hîc naribus nardus sapit.

14 *Hîc suaue fragrat fistula,*
Hîc Cinnamomum cum Croco
Fumos odoros dissipant.
Hîc vniuersæ Libani
Semper vigescunt arbores.
Hîc Myrrha, nec non Alloë
Reddunt vapores Thureos.
Hîc omnis arbor denique
Vnguenta dans primaria,
Quouis olescit tempore.

15 *At fons es hortos irrigans,*
Vndæ scatebra vitreæ,
Quam montis ima Libani
Fluore voluunt præpete.

16 Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum & fluant aromata eius.



COMMENTARIA IN CAP. 4.



QVia Sponsus & Spōsa inter pecora agebant, quærit hoc toto cap. similitudines pastoritias, vt ab arte innocua & iucunda profectas. *Quàm pulchra.* Repetitio, quòd pulchra sit intrinsecis donis & spiritualibus, & extrinsecis operibus, disciplina, moribus, doctrina, prædicatione Verbi Dei, Sacramentis, exteriori denique omni cultu. Hanc propositionem vniuersè propositam probat enumeratione. Omnia membra eius sunt pulchra, Incipiētes, proficientes, perfecti. Item omnes ordines, vt pastores, oues, Nazarei, &c. Item omnia eius opera. *Amica mea.* Vox רעיתי *Rahaiá* nō tam amicā sonat quàm sociā & cōpastricē. Sic appellat Spōsam, vt thori consortē ad quē nulla sit admittēda præter legitimam coniugem. *Oculi.* Describit oculos Ecclesiæ simplices, puros, sinceros, pudētes, absque labe & lippitudine. Nam nota sunt Columbinorum oculorum propria. Addit eos non nisi transparere per comam vel intra comam, vt indicet Spōsam tā pudēti & verecundo esse aspectu, vt oculi eius intra comam se cōtineant, nec huc

16 *O Aura, qua Septentrio*
Orbis sinistram concutit.
O Aura, quam contrario
Spirat Notus de cardine,
Perflate nostros hortulos,
Horum fluant aromata.
Fundant odorem nobilem,
Fragrantiorem balsamis.

huc illuc meretricum ritu vagẽtur. q.d. non modò Columbini sunt oculi tui & pudici, sed etiam coma tua, quam proinde intus occultas & vitta coërces, ne diffluat. Oculi autem Ecclesiæ sunt perspicacitas eius in diiudicandis erroribus, & simplicitas in proponenda veritate absque fuco, amphibologia & tergiuersatione, quæ hæreticorum est propria. Hinc nostri intelligunt doctores, per quos Ecclesia cernit. Hebræi autem, seorsum Abben Ezra, Prophetas, qui & Videntes dicuntur. *Absque eo quod intrinsecus latet.* absque coma interiore. Hinc Hebraïcè, Intra comam tuam, intra cincinnos tuos, qui alioqui procurrere solent supra frontem mulieribus, transparent oculi tui, nõ foris. Sic è medio totius multitudinis cõspicui sunt Doctores & Prophetæ. Significat vt oculos Spõsæ, sic etiam capillos esse nitidos quidem & elegantissimè dispositos, sed tamen foras non multum procurrere. Vnde R. Selomo & R. Iona צמה *flammá* non comam, sed vittam comam contegentem & inuoluentẽ interpretãtur. Nam castæ & pudicæ à fluxis crinibus abhorrent. Hoc

autem iungit cum ſequentibus, Intra vittam pilus tuus eſt pulcher. Sed rectiùs Noſter & Maſorethæ cum præcedentibus, eo ſenſu quem dixi. Hic enim pinxerunt Athnah. *Capilli tui*, capilli Eccleſiæ multitudo credentium, quæ paſcit in campis Galaad, vbi paſcua ſunt iucundiſſima, & pecudes habēt ſubtiliſſimum pilum, terſiſſimum & nitidiſſimum. Vide Kimhi in 16. Ezech. Nazareos Abben Ezra intelligit qui comam nutriebant, Num. 6. *Sicut greges*, ſicut gregum Caprarum pili, ſi hoc pertineat ad pulchritudinem. Sicut ipſimet greges Caprarum Galaad, ſi ad numerum. Nam copioſus numerus Caprarum delicatè paſcebat in monte Galaad, quòd ille bonis abūdaret paſcuis, Num. *Quæ aſcēderunt.* גלשו *Galas* hîc tantùm occurrit, & cap. 6. Hebræi, variè, quæ prominent, quæ ſpectātur, emicant, eminus proſpiciuntur è monte Galaad nobili paſcuis vltra Iordanem, quem propterea delegit tribus Gad, Quorum gregum cōſpectus iucundiſſimus erat. Dum conuenerint Noſtrum ſequere. Nam eius coniectura illorum opinationibus nihil cedit.

2 Significat dentes Sponſæ eſſe candidiſſimos & iunctiſſimos, deinde omnes fungi ſuo officio, nec inter eos eſſe ſterilem & vitiatum, alludens ad gemellum ordinem dētium, qui pulchro ordine ſeſe conſequūtur. Hi ſunt qui firmiore ſunt animo & fide, quos Paulus vocat ſpirituales, Vos, inquit, qui ſpirituales eſtis, talem in ſpiritu lenitatis corripite. *& quorum*. Qualium nullus eſt qui fructum in Eccleſiam non reponat. *Tonſarum*, præciſarum prop. ouium ſcilicet. Nam ſubaudiendum eſt commodum ſubſtantiuum de

more linguæ. Oues præcisæ & detonsæ symbolum firmiorum, quos iam diximus spirituales appellari à Paulo, quíque aliis cibum spiritualem comminuunt, vt manducari ab illis possit faciliùs. Omnes æquales sunt statura & magnitudine quasi præcisi essent. Hoc enim est decorum dentibus vt alter alterum non excedat. Sic enim Spirituales debent esse conformes & concordes, vt omnium sit eadem doctrina & sensus. Omnes sint mundi, quasi loti eodem sancto lauachro. Omnes gemellos pariant. i. ne sint steriles, inutiles, infructuosi, sed semper aliquos gignant & lucrentur Deo. *Sterilis*, orba prop. vel abortiens.

3 Rubor in labris ad pulchritudinem facit, significantur autem præconia verbi Dei, vel suffragia precésque, quas pudore zelóque oportet esse instructas, vel cruore Christi perfusas, q.d. Eloquia tua sunt verecunda, pudica & rubore suffusa. Hebræi allusum putant ad filum coccineum, cuius conspectu seruatam fidem ipsi Raab meretrici scribit Iosua cap. 2. Sic & Christi sanguis nos saluat. *Sicut vitta coccinea*, sicut filum coccineum prop. *Eloquium tuum dulce*, Ecclesiæ oratio Deo grata est & dulcis. *Dulce*, pulchrum propriè & decorum. *Genæ tuæ*, tẽpora tua intra comam tuam, propriè. Genæ subiacent oculis, Tempora auribus. Tempora tua per capillos medios apparent rubella, non secus ac fragmen mali Punici. Sic genæ rubentes fragmen mali Punici dimidiatum referunt. Vnde malæ etiam dicuntur, quòd rotundam, inquiunt Grammatici, mali speciem præ se ferant. Per genas siue tempora intellige pudicitiam pudorémque Ecclesiæ, qui in il-

lis maximè apparet, cuiusque decor similis est non tam malo Punico, quàm eius fragmini, quod altera parte tuberositatem, altera ruborem granorum ostendit. R. Selomo plenitudinem præceptorum & bonorum operũ, vt malum Punicũ plenũ est granis. Abben Ezra Sacerdotes, fortasse, quia vxoribus abstinebant toto ministerij & vicis suæ tempore. *Absque eo,* absque interiore coma, quam stringis vitta coccinea, ne diffluat, vt solent pudicæ.

4 Turris Dauid ea est, quæ dicitur Turris exiens è domo regis Neh 3. & turris regis Mich. 4. quã in monte Sion in propugnaculum vrbis & regiæ suæ construxit, muniitque clypeis & pharetris virorum fortium. Huic comparatur collũ Sponsæ, quia rotundum, erectum, procerum, formáque eleganti. Monilia verò, torques & reliqua ornamenta è collo pendentia clypeis de turri illa pendentibus, quasi collum habeat instructũ armis ad debellandos vel sustinendos hostes. Per collum Midras Sanctuarium intelligit, Abben Ezra Regem, vt per clypeos Principes, R. Selomo Senatum. Nostri præcones Verbi Domini, per quos trãsmittitur cibus in corda fidelium, vt per clypeos Verbum ipsum Ephes. 6. & Prou. 30. vel gratias & ornamenta, quibus illi ornari muniríque debent, vt collum torquibus, turris propugnaculis, clypeis, armis. *Cum propugnaculis* לתלפיות *Letalpiioth* ferè interpretantur, *ad disciplinas.* i. discendi causa, vt inde viam doceantur viatores, tanquam à Pharo aliqua, vel vt inde artifices discant & exemplar sumãt ad aliquid egregij ædificandum. Gall. *batie pour patron ou chef d'œuure.* ab

אלף *Alaph* didicit. Noster *ad propugnacula*, à תלל *Talal* eleuatus est, eminuit. Ali: ad aceruũ orum, quasi תלפיות *al pioth* duobus vocabulis. Gall. *à creneaux. Armatura*, pharetræ prop. sed est synecdoche species pro genere.

5 Vberibus, quæ vt gemelli hinnuli succulẽti, vtpote optimo & delicato pabulo educati, esse solent æqualia bonique succi plena, Hebræi in Midras adumbratos sentiunt Mosem & Aaronem, aut apud Abben Ezrã & Kimhi 16. Ezech. & 23. legem scriptam & non scriptam. i. Cabbalam, aut apud R. Selomonem duas decalogi tabulas. Nostri duo testamenta, è quibus exsugimus lac siue doctrinam salutarem tanquam gemellos ab vno eodémque Deo prodeuntes. *Qui pascuntur in liliis.* i. suauissimo pabulo. *In* præp. nõ dicit hîc locum sed materiam, sicque Latinè vacat. Qui aliter sentiunt, Inter lilia, interpretantur.

6 *Donec*, priusquam diescat, priusquam dies appetat, & noctis vmbræ abeant, abscedant, fugiãt, euanescant, ibo ad montem odorum. Gall. *à la fraicheur, deuant que le iour soit venu, & l'ombrage de la nuict euanouy.* Habetur enim ratio climatis terræ Sãctæ, vbi dies penè totus æstate ardere solet. Dies symbolum Euangelii, Vmbræ & nox legis Mosaicæ. Col. 2. Sabbata, Neomeniæ, cibi, &c. vmbræ futurorũ. Cum in Christo requiem inuenimus, verè sabbatizamus. Nouam Lunam obseruamus, quando vitam nostram innouamus & sanctificamus. Pascha nostrum est Christus. Azyma nostrum sinceritas veritatis, fermento carens vetustatis. Et cibos, quos Iudæi vitant in pecoribus, nos vitemus in moribus. Er-

go donec affulgeat dies Euangelij,clarus & legis vmbræ fugiant,ibo ad montes sanctos & dedicatos cultui meo, vt illic me præsentem, propitiúmque vni populo Israel exhibeam. Agam in sanctuario Mosaico siue Salomonio.ibíque cum veteri populo versabor. Postea aliò etiam commigrabo, nempe ad cunctas gentes. Atque id, quoniã ante Auroram dicta hæc videntur.Si sub vesperam, vt alij sentiunt, alius erit intellectus. Interea dum spirabit dies & inclinabũtur,id est, cadent,superueniẽt vmbræ vespertinæ.i. interea dũ aduesperascet,vel noctescet ibo mihi,&c.Gall. *deuant qu'il soit plus tard.* Nostri iungũt hãc primã versiculi partẽ cũ præcedẽtibus,& fortasse rectiꝰ. Nam cap.vltimo vers. vlt. vbi sequentia tangentur, istorum nullum est vestigium. Erit ergo sensus, Vbera tua sunt sicut duo hinnuli pasti liliis, donec appetat dies immortalitatis,& fugiãt mundi huius caliginosi vmbræ. Vbi enim appetierit ille lucis dies post consummationem sæculi nullus erit vberum Ecclesiæ vsus.Quando nulli amplius erunt educandi. Et sic R. Selomo capite secundo iunxit cum præcedentibus,& si hîc nũc sequatur distinctiones Masoreticas. Vide vers. vlt.2.capitis.*ad montem Myrrhæ*,Mons Myrrhæ & collis Thuris vidẽtur esse, qui cap.2.montes Bather.& cap.8. montes Aromatum, quales erant montes Libani.Nam illi proferebant myrrham, & thus & alia aromata,vnde & *Lebona* significat thus,vt λιβανωτὶς & λίβανος Græcè,à quo Libano monti nomen *Lebanon* impositum videatur.Interim quia *Mor* Hebræis est myrrha,alluditur ad montem *Moria*,in quo constructum fuit templũ

2.Par.3.& colebatur Deus thymiamate confecto è Nardo, Cinnamomo, & præcipuè Myrrha.q.d.Dum dies est, & paucæ sunt noctis vmbræ,illuc veniam,vt exaudiam precātum preces & sacrificia. Res enim diuina fiebat in Lege die non nocte.Hinc sacrificium *matutinum* post stellarum occasum & Auroræ exortũ,*Meridianum* post meridiem,*Vespertinum*, ante stellarum noctísque cõspectum. Vel potiùs, quoniam isthæc videntur ante Auroram dicta, Dum dies appetet, & euanescent noctis vmbræ,illuc me conferam,vt precaturos,sacrificaturos,inuocaturos anteuertam. Nam non nisi sacris operari poterāt post Auroræ exortum. *Collem thuris.* rursum quia *Lebona* est thus,alluditur ad montem Libani,in finibus terræ Israel,amœnissimum,odoratissimum,& fertilissimum,è cuius lignis structum fuit à Salomone templum & regia illa, quæ dicebatur domus Libani, & è quo sumebatur thus ad sacra. Illuc, inquit, me conferam, capturus auram terræ sanctæ,& speculaturus an aliquis in eius fines velit irrumpere, hausturus etiam fumos thymiamatum, quæ à piis adolentur.

7 Hoc pluribus enuntiat Paulus Eph. 5. Christus dilexit Ecclesiam,& seipsum tradidit pro ea, vt eam sanctificaret mundans illā lauachro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid eiusmodi, sed vt sancta sit & immaculata.Quod quomodo verum sit non omnibus est exploratum,præsertim cum omnes nos quasi oues erremus Esa.53.nec est homo,qui non peccet Eccl.7 3.Reg.8.2.Par.6 Hinc etiam Apostoli,

quantumlibet profecerint necesse habuerũt dicere, Dimitte nobis debita nostra. Aug. sub finẽ epist. 29. ad Hierony. & lib. de Spiritu & gratia. Et si quis illud Ioãnis, Si dixerim⁹, quia peccatũ non habemus, ipsi nos seducimus, sic accipiendũ putauerit, vt dicat propter humilitaté oportere dici nos nõ habere peccatũ, & nõ quia est veritas, Anathema sit. can. 6. concilij Mileuitani contra Pelagianos. Non enim humiliter solùm, sed etiam veraciter quiuis sanctus in terra dicit oras, Dimitte nobis debita nostra. Sanctus enim & iustus erat Iacobus frater Domini, qui dixit, in multis offendimus omnes (cap. 3.) & Ecclesiasticus, Non est homo qui non peccet, &c.) Ibid. Can. 7. De sola Virgine, cum de peccatis agitur nullam haberi volumus quæstionem, cum Aug. Nam (ea excepta) impossibile est non peccare, Amb cap. 5. ad Rom. Cum ergo singula mẽbra Ecclesiæ fuerint peccatis cõtaminata, quî tota pulchra, & in qua nulla sit macula à Salomone canitur, quî nõ habere rugam aut maculam aut aliquid huiusmodi ab Apostolo asseritur? Hæretici respõdent esse hyperbolem amoris vi elicitã. Nam hîc nisi vana & amatoria contemplantur. Nos veram esse propositionem, Sponsam Christi esse sine ruga & macula. Nam primò non sequitur. Singula membra Ecclesiæ habẽt maculas, ergo & totum, id est, Ecclesia. Quoniam alia est ratio totius Metaphysici, siue collectiui, alia partiũ. Nam, verbi gratia, fieri potest vt Senatus probè institutus diuisim erret, cum interea coniunctim non sit erraturus. Sic enim fatemur Ecclesiam diuisim distributímve interdum errare & in doctrina &

in moribus, quæ cōiunctim collectímve in concilio œcumenico neutro modo hallucinari potest propter præsentiam Spiritus Sancti, diuinas promissiones, &c. Secundò respicitur per synecdochen ad præcipua & nobiliora Ecclesiæ membra, verbi causa ad Virginem ab omni peccato, etiam originario Dei gratia liberatam, Prophetas, Apostolos, præstantiora alia diuinæ gratiæ vasa tam minutis affecta næuis post purificationem Spiritus Sancti, tantáque perfectione, virtute & gratia, vt perfecta & sine labe dici mereantur, saltem quantum humanitatis ratio & modus, quam perfectionem viæ, non patriæ appellāt Scholastici, postulat. Sic respondet Augustinus lib. 1. Retract. cap. 19. Dum illud quod dixerat priore libro de Sermone Domini in monte, *Et ista quidem compleri in hac vita possunt, sicuti in Apostolis completa esse credimus*, sic accipiēdum monet, non vt in Apostolis hîc viuentibus nullum carnis motum arbitremur Spiritui repugnasse, sed hactenus ista posse compleri, quatenus in Apostolis credimus esse completa, ea videlicet mensura perfectionis humanæ, quanta in hac vita potest esse perfectio. Tertiò habetur ratio Ecclesiæ triūphantis in cœlóque versantis, cuius status est perfectissimus, & ab omni macula culpæ, erroris, malorum alienissimus. Sic intellexit Augustinus eodem loco Retractationum, Propter gloriam, in qua apparebit, quando Christus apparuerit vita eius (Col. 3.) ecclesia dicta est gloriosa, non habens maculam aut rugam, vt sit sancta & immaculata, in resurrectione videlicet. Et cap. 18. lib. 2. eiusdem operis, Non est accipiendum si-

ne ruga & macula esse Ecclesiam, quasi iam sit, sed quòd præparetur vt sit. Et Hilario epist.88. inter reliqua quærenti, quænam sit illa Ecclesia, de qua scriptum non habere rugam neque maculam, vbi hæc sit, an in qua nunc congregamur, an illa quam speramus, respondet epistola sequenti 89. breuissimè, quod necesse sit ad finem vsque sæculi portet bonos ac malos, tūc verò suscipiat has laudes, &c. Quartò Ecclesia etiam militans ac in terris miserè exulans suo modo tota est pulchra & sine labe, non secundum vitæ iustitiam, inquit Cyprianus vel Ruffinus in Symbolo, sed secundum doctrinæ veritatem. Ideo enim Virgo incorrupta dicitur à veteribus, & à Prophetis Virgo filia Sion: & ab Apostolo, 1. Tim. 3. columna & firmamentum veritatis. Quis enim Sanctorum eam vnquam errasse sensit in fide & moribus? quis in dubiis ad eam tanquam ad sacram anchoram non confugiendum docuit, quis ei in credendis, sperandis, amandis, vitandis, timendis non fidem habuit? quis denique in hac difficultatum caligine, non exclamauit, Credo vnam sanctam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, & ad illam paruulos Babyloniorum tanquam ad petram non allisit? Postremò, ne secundum vitæ quidem iustitiam penitus excidit ab hoc elogio, Tota pulchra es & immaculata. Nam spe saltem, affectu, desiderio, voto iusta est. Adde diuinam acceptationem, non solùm quia peccata ei non imputantur, verùm etiam quia verè & reipsa iustificatur, veram & realem peccatorum remissionem consequitur, innocentiæ & gratiæ primæ verè per Christum restituitur. A quibus qui excidunt

dunt improbi, magis sunt in Ecclesia, quàm de Ecclesia, & si sint de Ecclesia, id sunt numero, non merito, vel secundum præsentem iustitiam, non æternam præscientiam. *Amica mea. Rahiati*, socia mea propriè. Est enim hæres Dei, cohæres autem Christi.

8 Rectè Abben Ezra vndequaque in templum, id est, ad religionis locum & communioné confluxuras gentes ab extimis terræ promissæ limitibus, vt Libano, Amano, immò & è regionibus remotissimis incircuncisorũ, qui Leonibus & Pardis comparentur. q.d. Venies mecum ex illis locis in terram sanctã, & aspicies percipiésque eius bona, opes, gratias. Alluditur auté ad ingressum terræ Israelis. Per illa enim loca Israelitæ in eam ingressi sunt, Deut. 3. vbi dicitur Senir & Hermon nomina esse eiusdem mõtis in terra Amorrhçorũ, id est, vnius montis, qui esset biceps. Inde enim pro duobus numerãtur, 1. Par 5. Amana autem mons est in finibus terræ Israel ad Septentrionem, vbi initia Iordanis, de quo Plin. lib. 2. Nat. hist. cap. 22. Alij putant esse Amanum montem Ciliciam à Syria dirimentem. Libanus verò collis ille Thuris, ad qué se iturũ dixerat, λίβανος Heb. & Græcè thus & mons thurifer, nisi quòd Heb. *Lebona* propriè thus, *Lebanon* mons thurifer. Ascende, inquit, & ex his montibus subiecta loca, atque totam terram Israelis aspicies, vt iucundum est è verticibus mõtium inferiora pulcherrimis arboribus, pratis, herbis, floribus, vrbibus, rebúsque aliis vestita cernere. Hac adhortatione intellige Dominum ostendere omnes diuitias &

mysteria regni cœlorum ipsi Sponsæ è montibus illis horridis & barbaricis, vbi Og & Seon Tyranni imperitabant, ac ex illis eam vocare ad tantas opes participandas. Quasi dicat fore vt Gentes è mediis Tyrannorum persecutionibus perueniāt ad religionis communionē, indéque celeste regnum, terram vtpote promissam. *Coronaberis* תשורי *Tasuri* aspicies, subiecta videlicet loca. Anonym⁹ ab אשר *ashar* deducit. *Ibis, venies*. Sic 70. διελεύσει. Noster secutus est sensum. Nam hic siue aspectus siue aduentus non est inutilis, sed ad fruitionem & participationem regni cœlestis, in quo gloria & honore coronamur, pertinet.

9 *Vulnerasti*, ad verb. excordasti me, vel cepisti mihi cor, Gall. *Tu m'as saisi le cœur*. *Soror*. Sponsam, quia communicat carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem per vnionem naturarum & substantialem, Sororem suam appellat, vt nos fratres Hebr. 2. Per oculum autem Ecclesiæ intellige perspicacitatem & vigilantiam eius, per torques virtutes, quibus abundè & opulentè dotata est. Harum vel minima Christum pellicit, & amore vulnerat. Ipsius enim deliciæ esse cum filiis hominum, Prouerb. 8. Ad hos cordis oculos Hieronymus principio in Esaiam multa alia Scripturæ loca aptat. Eum consule. *Crine*. Torque prop. fortasse Noster non accepit crinem pro capillo, sed pro ornamento colli, è crinibus rutilantibus confecto. Nam sic apud Plin. 17. cap. 21. est quoddā genus vinculi. Aliqui Gallicè *perruque* interpretantur.

10 *Mammæ* & *vbera* pro amoribus metonymicè.

Nam illic est amoris sedes. Quare in fonte ea est forma (*Dodim*) quæ magis amores, quam Mãmas siue vbera significat. Quin illic est eiusdem nominis repetitio, ad vehementiam. Quàm pulchri sunt amores tui soror mea, quàm boni sunt amores tui præ vino. *Pulchros*, id est, dulces appellat per communicationem sensuum, ob suauitatem morum & vitæ. *bonos*, vtiles, efficaces, sicut vinum, quod vtile est & efficax ad multa. *Odor*. Odor vnguentorum tuorum præstat cũctis aromatibus. Intelligit famam Ecclesiæ, quæ latè lõgéque diffunditur.

11 Suaue est Domino audire cõfessionem & inuocationem Ecclesiæ. Eius vestes sunt virtutes & bona opera, quibus decorata est & conuestita. 2. Cor. 5. Itaque odor vestium famam virtutũ eius indicat. *Labia*. Vocales preces & inuocationes sunt dulces Domino vt fauus. *Sub lingua*. i. in corde. Nam sub lingua est cor. Preces interiores & cordis sunt suaues & gratæ instar mellis & lactis. Midras labia ad Cantica Leuitarum, Vestimenta ad vestes sacerdotales quatuor & pontificias octo refert. *Libani*. Metonymicè Arborũ & florum Libani.

12 Hebræi referunt ad pudicitiam Ecclesiæ, quæ ita vndique clausa est & septa, atque veluti obserata, vt nõ pateat cuiusquã iniuriis & raptibus, sed nec externos & Chananeos admittat. Es. 51. Zach. 14. Porro quidam eam notant decies Sponsam in Scriptura nominari, quinquies hoc capite, semel sequẽti, quater aliis libris. *Conclusus*, obseratus prop. metaphora à sera. Sera autem est præsidium Domini. *Hortus*, secundo loco in

Fonte legitur גל, *Gal*, ſcatebra, ſcaturigo, nō גן *Gan* hortus. Nihil refert, Nam vtraque formula ſignificat Spōſam more horti & fontis pretioſi vndique clauſam & ſeptam eſſe, ne eo quicquam noxij irrumpat. *ſignatus* ſigillatus, Gallicè *cacheté*, munitus ſigillo, ſiue annulo ſignatorio, ne quiſquam ingrediatur ad illum inficiendum.

13 Hîc particulatim amplificat horti & fontis huius laudes, quibus Eccleſiam in genere cōpararat, & primum Horti. *Emiſſiones*, propagines, plantæ, quas emittis, effundis, extendis. *Paradiſus* Pardes vocabulum eſt Perſicum quod in omnes ferè linguas manauit, pro horto pretioſo & delitioſo, omni arborum genere conſito. Errat Aben Ezra dum putat lingua Arabica reſtringi ad viridarium vnius generis arborum. *Punicorum*, quæ ſuauitate & rubore grata ſunt: poſſet legi Punicarum. Nam vox Fontis *Rimmonim* arborē & fructum ſignificat. *Cum pomorum fructibus.* propriè cum fructu deliciarum. i. cum fructū delicato & exquiſito. *Megadim* non poma duntaxat ſignificant, verùm etiam quicquid eſt delicatum & pretioſum ſiue in fructibus, ſiue in rebus aliis. Delicias rectè vertes. *Cypri cum Nardo.* In Hebræo pluraliter, cum Nardis. Bina autem hinc deinceps proponit, quòd huiuſmodi ſiue mixta, ſiue maritata partim magis vigeant, partim fundant odorem fragrantiorem ac ſuauiorem. Hinc nardum ſequenti verſiculo repetit, & copulat cum croco eandem ob cauſam. Sic Scriptura vbique commendat charitatē, vnionem, amicitiam. Cyprus autem ea fortaſſe eſt planta, Nardi odorem ſpirās quæ in Phœnicia naſcitur, & vocatur Cy-

prius apud Plin.cap.18.lib.21.
14 Hic etiam versiculus est primæ similitudinis explicatio. Illa autem omnia adumbrant varias virtutes, dona, dotes quibus floret Ecclesia. Nihil est, inquit, eximium quod non crescat in horto tuo. Nam etiam Myrrham & Aloem, quæ duo adhibentur ne res putrescant, proferunt. Sic appellantur Electi propter virtutes, quos plantat Pater Matt.15. quique sunt Domini bonus odor. 2. Co.2. De Nardo, quæ in vnguentis principem locum tenet, & cuius cacumina in aristas se spargunt, lege Plin.lib.12.cap.12. Eundem de Croco, cap.14. & 15. eiusdem libri. Fistula autem, id est, calamus aromaticus, siue iuncus odoratus, inter Libanum & alium monticulum nascitur apud eundem lib.12. cap. 23. & Theophras. libr. 9. de histo. plantarum cap. 7. Cinnamomum frutex, cuius cortex odoratissimus, in Syria, Iudæa, & Arabia. Theoph. lib. 4. hist. plant. cap. 6. Plinius Cinnamum appellari ait cap. 20. libri 12. Ab Hebræo sanè קִנָּמוֹן *Kinnamon* *canelle* vulgo. *Cum primis vnguentis*. cum primariis & præcipuis aromatibus. Ad verb. cum omnibus capitibus aromatum.
15 Alterius similitudinis explicatio. Secundo enim fonti & scaturigini compararat Ecclesiam. Hîc igitur qualis sit fons traditur, nempe *Hortorum*, multos hortos irrigans, vberrimè. Ecclesiæ enim doctrina omnes singulares Ecclesias rigat copiosissimè. Puteus aquarum viuentium, è quo petendæ sint aquæ viuæ & perennes salientes in vitam æternam, vide Zach.13. Nam illa Ecclesiæ doctrina est viua, perennis & limpida, nullo hæ-

reticorum cœno turbida & corrupta. Cum verò eas ait fluere è Libano, alludit à Ior & Dan, siue Paneaden, qui fontes limpidissimi è monte Libano scaturiūt, Iordanémque paulò post coëuntes efficiunt, lege Iosep. cap. 18. lib 3. de bello, & Plin. lib. 5. cap. 16. Nat. hist. Adhuc ergo Sponsus narrationem suam persequitur, nec, vt Beza ineptit, ex abrupto illum Sponsa intercipit, vt laudes sibi, tanquam assentationis non veritatis animo, tributas in Sponsum reflectat. Nam etsi Spōsus vnus sit fons hortos omnes irrigans, ac vnicus perennium aquarum puteus, naturâ, at parcipatione tamen & gratiâ Sponsa idem verè & efficaciter præstat. *Quæ fluunt*, Ad verb. Et fluentium ex Libano. Nā alieni us est quod aliqui *Nozelim* malunt esse nomen, quàm participiū, vertúntque, *Et fluenta ex Libano.*

16 Prosopopœia elegans per Apostrophen ad ventos Aquilonem & Austrum Sponsę, vi amoris, erumpēs. Ex eo autem sumitur occasio, quòd Sponsus ipsam hortum appellasset. Inuocat & precatur Spiritum Sāctum vt ad se veniat, se foueat, & odorem, fumum, bonam famam suarum virtutum gratiarúmque ad Spōsum assiduè perferat & spargitet. Alioqui sine Spiritu Sancto totus eius hortus arescceret. His enim duobus vētis intelligit perpetuam spirationem Sancti Spiritus. Hi enim omnibus anni temporibus flant, cæteri non item, sed statis, vt docet Arist. 2. Meteor. cap. 4. Duos autem memorat, eósque flantes è contrariis mūdi cardinibus, vt in omnem partem manet odor, vētis hinc inde flabellatus. Spiritus Sanctus nunc Aquilo, quia frigidus refri-

gerium præstat cõcupiſcentiæ ardoribus,renum affectus extinguit,&c.iuxta illud,Virtus altiſſimi obumbrabit tibi,nunc Auſter quia calidus inflãmans corda,&c. *Fluant.* Spargantur latè per hortum,& per auras ad attrahendos homines,maximè Sponſum.foras manēt,exeant,ne ſint ocioſa, torpida , inertia. Excitetur interior vis & calor. Hîc caput quartum & verſum decimum ſextum capitis Noſtri finiunt. At Hebræi Athnah,id eſt, mediam ſententiam verſiculi duntaxat conſtituunt. Nam alterum ſententiæ ſiue verſiculi mẽbrum his abſoluunt verbis. *Veniat dilectus in hortum ſuum,& comedat fructus deliciarum ſuarum.* Si non rectius , certè facilius , vt vnico verſu ſuam precem & votum Sponſa expleat , ſequens verò non interrumpatur duarum perſonarum interlocutione.





CAP. QVINTI ARG.

Expetitus, quæsitúsque Sponsus ab externis præcipuorum membrorum notis illustratur.

SPONSA.

1 Veniat Dilectus meus in hortum suum, & comedat fructũ pomorum suorum.

SPONSVS.

2 Veni in hortum meum Soror mea Spõsa. Messui Myrrham meam cum aromatibus meis. Comedi fauum cũ melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo. Comedite amici & bibite & inebriamini charissimi.

SPONSA.

3 Ego dormio & cor meum vigilat. Vox dilecti mei pulsantis. Aperi mihi soror mea, amica mea, columba

SPONSA.

1 *Visat suum pomarium*
Sponsus mihi charissimus.
Suis fruatur fructibus,
Quos eius edunt arbores.

SPONSVS.

2 *Veni frequenter ô Soror,*
Iam, Sponsa, visi sæpius.
Iam sæpe maturos ibi
Myrrhæ fluores messui,
Odora legi aromata,
Fauum comedi melleum,
Bibi liquorem lacteum,
Haustum meraci sorbui,
Quæ cuncta nobis hortulus
Insignis ille protulit.
Isthæc amici carpite,
Gustate mecum talia,
Quin & meo simul mero
Vos irrigate largiter.

SPONSA.

3 *Me dormientem corpore,*
Sed mente prorsus excitam,
Mihi ille vitâ charior
Ad ianuam pulsans meam

mea, immaculata mea. Quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.

4 Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo eos?

5 Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius: Surrexi vt aperirem Dilecto meo: Manus meæ ſtillauerunt Myrrham, & digiti mei pleni Myrrha probatiſſima.

6 Peſſulum oſtij mei aperui Dilecto meo: At ille declinauerat, atque tranſierat. Anima mea liquefacta eſt, vt

Affatus est his vocibus
Eia fores mî pandito
Soror, Columba perpudens,
Amica, labis nescia.
Nam noctis aspergo caput
Meum repleuit roribus.
Guttis madentes reddidit
Mei capillos verticis.
4 *Exuta lucis vestibus*
Quînam resumam denuò,
Hac noctis in caligine,
Vestes semel, quas exui?
Quînam pedes nunc polluam,
Quos antè paulò collui.
5 *Hac non repulsus causula,*
Mihi ille vita charior
Manu foramen transiit,
Moturus ipse pessulum.
Hinc ventre toto palpitans,
Surrexi, vt illi panderem.
Tunc apprehensus pessulus
Meas fluentes reddidit
Nidore palmas Myrrheo.
6 *Recludo amanti ianuam,*
At ille declinauerat,
At ille iam transiuerat,
Cuius loquela cor meum
Liquarat antè funditus.

locutus est. Quæsiui, & non inueni
illum:vocaui,& non respondit mihi.

7 Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem. Percusserũt me, & vulnerauerunt me. Tulerunt pallium meũ mihi custodes murorum.

8 Adiuro vos, filiæ Ierusalem, si inueneritis Dilectum meum, vt nunctiis ei, quia amore langueo.

PVELLAE SIONIÆ.

9 Qualis est Dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum! Qualis est Dilectus tuus ex dilecto, quia sic adiurasti nos?

SPONSA.

10 Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.

Vt ergo demens cursito,
Hinc inde quærens clamito.
Sed pâret ille nuspiam,
Nec verba reddit æmulæ.
7 *Occurro circitoribus,*
Qui ciuitatem circuunt.
Contundor atque vulneror,
Et dite nudor pallio
A mœnium custodibus.
8 *Adiuro vos, ô Virgines,*
Sacræ Sionis incolæ,
Vt vnicè iuncto mihi,
Si fortè consequamini,
Me nuntietis languidam
Ipsius esse amoribus.

PVELLAE SIONIAE.

9 *Dilectus ille iam tuus*
Quid, cedo, differt cæteris,
Possimus vt dignoscere,
Ac cæteris distinguere,
O Virginum pulcherrima!
Excellit ecquid vnicus,
Sic nos quòd adiuraueris.

SPONSA.

10 *Dilectus ille est candidus,*
Vultu decorè subrubet.
Insignis inter millia,
Et lectus, vt vexillifer.

11 Caput eius aurum optimum. Comæ eius ſicut elatæ Palmarum, nigræ quaſi Coruus.

12 Oculi eius ſicut Columbæ ſuper riuos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident iuxta fluenta pleniſſima.

13 Genæ illius ſicut areolæ aromatum conſitæ à pigmentariis. Labia eius lilia diſtillantia Myrrham primam.

14 Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. Venter eius eburneus, diſtinctus ſapphiris.

11 *Pellucet eius ſinciput*
Aurum velut puriſsimum.
Se crinis eius denſitat
Elata ſicut palmea.
Nigrore verò fulgurat,
Quali capillo nigrior,
Nec Coruus extat vnicus.
12 *Lætos ocellos poßidet*
Puppis nigellis præditos,
Albo rigatis alueo.
Qualis Columba cernitur
Riuis aquarum conſidens,
Limphis abluta lacteis,
Plenis fluentis imminens.
13 *Habet genas, ceu areas*
Plantis odoris vnguinum
Vtraque parte conſitas.
Hinc inde ſuccreſcentibus
Pulchris pilorum floſculis,
Habet labella liliis
AEquanda ſuaue olentibus,
Myrrhámque diſtillantibus
Se ſpargitantem largiter.
14 *Huic ſunt manus tornatiles*
Ex annulorum copia,
Baccis onuſtæ fulgidis,
Quas pala claudit aurea.
Huic venter eſt eburneus

15 Crura eius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas. Species eius vt Libani. Electus vt Cedri.

16 Guttur illius ſuauiſſimum, & totus deſiderabilis. Talis eſt Dilectus meus, talis eſt amicus meus, filię Hieruſalem.

PVELLÆ SIONIAE.

17 Quò abiit Dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum? Quò declinauit Dilectus tuus, & quæremus eum tecum?

Puris opertus ſapphiris.

15 *Iam crura credas illius*
Firmi columnas marmoris,
Quas aureæ fundant baſes.
Sic ambulantem qui videt,
Illum ſublimem Libanum,
Cedróſque lectas Libani
Spectare ſeſe dixerit.

16 *O quàm ſuaui eſt gutture!*
Profectò tantus quantus eſt,
Eſt totus expetibilis,
Ac his amicus eſt meus,
Quem tam potenter diligo,
Rebus notíſque præditus.
O Sollymorum filiæ.

PVELLAE SIONIAE.

17 *Quò charus ille tranſiit,*
O Virginum pulcherrima?
Quò ſe repente contulit?
Vt te ſequentes ſedulò
Poßimus vnà quærere
Quem tam potenter diligis.



COMMENTARIA IN CAP. 5.

VTinuocauerat Sponsa Spiritum Sāctum parabola Aquilonis & Austri, ventorum hortis valdè vtilium ad excitandos plantarum & florum odores, ita etiam nūc Christum Dilecti vocabulo. Veniat ille ad me, quam suum hortum esse dixit, fruatur fructibus horti deliciosis, id est, fide, virtutibus, bonis operibus meis, eius gratia & plantatione designatis. Vel pergit in precando Spiritu Sancto vt veniat Dilectus, id est, vt eū ad se mittat. Sic *veniat* non erit Optatiui, siue Imperatiui & Deprecatiui modi, sed Subiunctiui, per eclipsim particulæ *Vt. Pomorum.* deliciarum prop. recurre ad versum 13. capitis superioris. *In hortum meum*. ad te iam veni, quā dixi esse hortum meum pretiosissimum omníque aromatum genere affluere, collegi myrrham, vidi, inquit, & probaui tuorum operum fructum, comedi, summa auiditate hausi, acceptáque habui tua opera, ô Ecclesia, ex iis iam percepi maximam voluptatem. Myrrha, aromata, mel, fauus, vinum, lac ad varietatem virtutum & sanctorum operum pertinent. R. Selo. per hortum accipit Sanctuarium, per vinum Libamina, per fauum, mel, lac, oblationes & sacrificia. Sic & transferes ad Sacramenta & mysteria Christianæ religionis, præsertim autem ad sacrificium altaris Eucharisticum simul & propitiatoriū, quo quotidie Domino per Sacerdotes litatur. Est enim gratissimū,

quoniam viua, iugis, & efficax sacrificij Crucis cōmemoratio, repræsentatio & applicatio. Hoc sequitur Ambrosius lib. 5. de Sacramentis cap. 3. Nam de Communione Eucharistiæ ista interpretatur. Quale hic innuit Abben Ezra. Scribit enim Dominum hic recusare antiqua sacrificia, iuxta illud Psalmi 49. Non in sacrificiis tuis arguam te, holocausta tua non erunt in cōspectu meo semper, non accipiam de domo tua vitulos, &c. Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua. *Amici, Rehim*, ô socij. quos mox appellat *Dodim*, amores vel amicos, siue vt Noster vertit, charissimos. Per hos cum Abben Ezra & Origene Angelos intellige, quibus in Scriptura Dominus perpetuò stipatus sociatúsque inducitur ob singularem ipsius maiestatē & gloriam. Itémque Sanctos, qui ex Apocalyp. Ioannis sequuntur Agnum quocunque ierit. Eos hortatur, vt fructum voluptatémque vnà secum capiant ex horti plantis. Nam hi similiter gaudent piorum iustitia, virtute, fide, conuersione, Luc. 15. Ac, vt Ioan. 4. Dominus suum cibum appellat Samaritanorum vocationem, iustificationem, fructificationem, ita cœlites se his pascunt, & delectant, atque pro cibo ducunt delicato nostram conuersionem vitæque probitatem & fidem. Vbi obserua Dominū Sāctis cœlitibus suis narrare reuelaréque opera Ecclesiæ, preces, res, negotia, adeo vt ea vel per se intueantur, vel speculentur in verbo ac diuina essentia tanquam in speculo, inde excitentur ad interpellandum & precandum pro nobis, succurrendum, congaudendum, compatiendum, concipiant quoddam gaudium, &c.

vt Luc.15. Cum auiditate haurite, ipsis fruimini, ex eis gaudium concipite. Non tam appositè R. Selomo Sacerdotes, quos Sponsus habeat comites, socios, amicos intelligit. Sed nec illi, qui fideles cunctos in genere, de quibus alioqui Dominus ipse Ioan.15. Iam non dicam vos seruos sed amicos. *Comedite* fauum & mel per zeugma, id est, dulcem cibum, dulcia opera & gratos fructus horti mei. *Inebriamini:* largiter bibite & ad satietatem vinum & lac, id est, dulces potus & liquores è fructibus horti mei expressos. De fructibus & virtutibus Ecclesiæ. *Charissimi*. Ita Noster in vocatiuo reddit *Dodim*, ô amores, id est, amicissimi. Quoniam autẽ nominum Hebraicorum casus non distinguntur terminationibus, sed duntaxat articulis, aliqui interpretantur in ablatiuo è 7.cap. Prouerb. Age inebriemur amoribus. q.d. largiter ô socij fruamini amoribus, id est, iis quæ ego & Sponsa vehementer amamus, quibus delectamur in hoc horto.

2 Tertius actus & quasi narratio vsque ad vndecimum versum sexti capitis, de eo quod sibi accidit in Somnis. Ego semel dormiebam, sed cor meum vigilabat, sícque mihi apparuit Sponsus, pulsauit fores, me est allocutus his illis vocibus, Caput Christi, est ipsius diuinitas, cincinni multitudo virtutum, perfectionum & gratiarum eius. Ros & guttæ noctium, contumeliæ, blasphemiæ, iniuriæ, quibus ipsius diuinitas & virtutes asperguntur à Iudæis, hæreticis, impiis, Quoniam sic ab istis in capite & cincinnis, contumeliis aspergor ô Sponsa, ô Gentium natio, me hospitio excipe, apud te saltem, fac, quietem nan-

ciſcat. Hinc Abben Ezra ait Dominum cõqueri, quòd tandiu poſt reditum è Babylonia neglectus fuerit, & caruerit templo, & ſub dio habitarit, iuxta illud Aggæi, Nunquid tempus vobis eſt, vt habiteris in domibus laqueatis, & domus iſta deſerta? Quomodo conqueri poſſit Chriſtus, quòd cùm ipſe pauper, egenus, & multis malis & calamitatibus obnoxius venerit in hunc mundum, nec Mat. 8. habuerit vbi caput ſuum reclinaret, non ſatis tempeſtiuè recipiatur & admittatur à mortalibus. Illud eſt Ioannis, In propria venit & ſui eum non receperunt, immò verò malè & barbarè exceperunt. Alij in bonam partem rorem & guttas noctium accipiunt pro benedictionibus, donis, gratiis. Sic caput Chriſti, id eſt, diuinitas plena eſt rore gratiarum. Cincinni, id eſt, humanæ eius qualitates & virtutes è diuinitate, tanquam è capite prodeuntes, plenæ ſunt guttis, & ſtillis benedictionũ. Vel iuxta alios caput Chriſti, Deus Pater, qui plenus eſt rore fœcunditatis. Ab eo enim omnis manat paternitas, ſiue quæ in cœlis, ſiue quæ in terris. Cincinni eius, qui è capite prodeunt, Spiritus Sanctus multiformis, qui à Patre procedit. Hi pleni ſunt guttis nocturnis. Multiplices enim & variæ ſunt gratiæ Spiritus Sancti. *Columba* propter caſtitatem, puritatem, ſimplicitatem. *Immaculata*, vel integra.

3 Sponſa hæc in ſomnis nuda ſibi videbatur loqui, ſe excuſans, tergiuerſans, denique detrectans aperire pulſanti Sponſo. Hæc autem dicuntur in perſona ſegneſcentis populi Domini, qui Domino à priuata vita & quieta ad actuoſam, à bonis ad meliora, vel à peccatis ad virtutes inuitãti, non

ſtatim prima vocatione obſequitur. Priore modo talis eſt ſenſus. Exui vitam actuoſam, iam me totam tradidi quieti & contemplationi, quomodo iterum illam repetam? Ablui actus meos, & priſtinam viuendi rationem ab inquinamentis mundi, quæ vitam illam actuoſam & operariam circunſtāt, mundo eiúſque operibus vale dixi, & me recepi in portum quietis & tranquillitatis, id eſt, vitæ ſolitariæ & contemplatricis, vt in perpetua viuam meditatione, precatione, lectione, ſtudiis rerum diuinarum & cœleſtium, vel vt priuatam vitam in perpetuum exerceam, quînam nūc inquinem actus meos ſemel purgatos & abſterſos tumultuariæ vitæ ſordibus & inquinamentis? Quînam ab hac contemplatione & ſacri otij dulcedine, retrahar ad vitam actuoſam, & exercitationes illius, quantumuis ſanctas? Pij ad vitam in oculis & luce mundi verſantem poſt guſtatam dulcedinem vitæ cōtemplantis & ſolitariæ, non ſe facilè retrahi patiuntur. Sic Moſes refugit rectionem populi Iſrael. Sic D. Marcus, Chryſoſtomus, Bernardus & plerique alij Sancti allecti dulcedine vitæ præſtantioris, & ab inquinamentis & turbis huius mundi remotioris recuſarūt ampliſſimos epiſcopatus, &c. *Tunicam* ergo vocat vitam actuoſam & operariam. *Pedes*, actiones, exercitationes, labores & moleſtias illius vitę. *Inquinamenta*, curas, ſollicitudines, turbas & motus. Poſteriore excuſationem Sponſæ in deteriorem partem accipiamus. *Tunicam*, pro iugo Domini, via virtutis, pietate, innocentiæ ſtola. *Pedes*, pro vitæ curſu, vita voluptaria, affectibus mundanis. *Inquinamēta pedum*, pro aſperitate & ſqual-

lore vitæ ſanctæ. Iam exui tunicam.i. iugum Domini, vt illud iterum ſubibo? Iam nouo cultu aut noua viuendi ratione abſterſi priſtinam, quo pacto illa miſſa, quæ mihi placet admodum, hanc iterum repetam? meámque ſplendidam vitam cum tetrica, ſqualida, aſpera, pallēti commutabo? Sic Iſraelitæ faſtidiūt iugum Domini, & alienum atque vitioſum laudant, Ierem. 44. Interea dum coluimus militiam cœli, cuncta nobis erant proſpera, cum autem, &c.

4 Pergit narrare Sponſa ſuum ſomnium. Cùm ergo renuiſſem aperire Sponſo meo, ille inſtabat, & miſit manum per foramen, oſtij videlicet, (non ventris vt impuri cogitāt) quaſi volens peſſulum reuoluere, vel ſerā reſerare. Hoc percepto tota cōmota ſum ad intima vſque viſcera. Significat Dominum multis rationibus, vt ſibi aperiamus inſtare. Miror hîc Bezam oblitum ſui moris, nec traduxiſſe iſthæc ad Venerea. & ex foraminis mentione, itémque ex eo quod Noſter ſatis leuiter verterit, Venter meus intremuit ad tactum eius, pro, *Viſcera mea inſonuerūt propter eum*, non ſumpſerit obſcœnitatis occaſionē. Nam etſi Hebraici contextus primas ſyllabas non norit, hîc ſenſum eſt aſſecutus. fortaſſis quia ſimpliciſſimus & facillimus. *Per foramen*, oſtij, vel ſeræ, *immiſit manum ſuam*, indéque *Venter meus intremuit ob Sponſum contingentem* & volutantem peſſulum, ſiue ſeram, vt oſtium reſeraret, id eſt, Sponſus contrectans & reuoluens peſſulum vel ſeram (nam *manhul* vtroque modo exponitur) me tremulam & palpitantem reddidit, vt accidit pudicis puellis, quæ cuncta habent ſuſpecta, metu amittendæ

pudicitiæ, vel verecũdia & pudore virginali. Sic enim Virgo Christi mater turbata est in sermone Angeli, & cogitabat qualis esset ista salutatio. Hîc ergo nulla impudicitia, sed mirabilis pudicitia notanda est, dum de ea sibi, etiam à Spõso, videtur metuere. In huiusmodi suspicacem esse virginem est laudatissimũ. *Venter*, prop. viscera mea, id est, intestina mea. Interiora mea cõmota sunt, & palpitarunt præ pauore. *Intremuit*, puto Nostrum vertisse *infremuit*. Nam ad verbũ, insonuerunt, infremuerunt. *Ad tactum eius*, quando is tetigit pessulum ex foramine. Doctè expressit istud Fontis, *super eum*, propter eum, dilectum meum scilicet, id est, propterea quod ipse mouebat pessulum. In aliquibus exemplaribus Hebraicis mẽdosè legitur עלי *alai* sine vau, *super me*, id est, mihi. Nam emendatiora, vt Rabbini monent, habent עליו *alaú*, per vau, vt & Noster & 70. legerunt. Viscerà siue intestina appellat interiores cogitationes. Eas Sponsus suis inspirationibus commouet ad pœnitentiam, ad suspiria, &c.

5 Cum surrexi ad aperiendum, manus meæ fuderunt myrrham, cuius odorem conceperat illa ostij pars, quam Sponsus meus Myrrham olens contrectauerat. Si quis contrectat res odore cõditas & imbutas, manibus etiam odorem cõtrahit. Significat se nouum spiritum & affectum concepisse, qui manarat à suo Sponso, se vel solùm conatam aperire Sponso, sensisse in se magnam suauitaté & gratiam. q. d. Intellexi me nouo spiritu agi, atque antea improbè fecisse, quòd Sponsum tam suauem & myrrham manibus spirantem foris reliquerim. Myrrha hîc designat

Spiritum & affectum pium, vel iuxta R. Sclomonem, pœnitentiam. De hoc aromate lege Plin. lib. 12. cap. 16. & 17. *Probatissima*, transeunte prop. id est, manante longius, quale aroma est pretiosissimũ & laudatissimum, trãseunte inquam, per manubria siue ansas pessuli. Sed istud posterius Nostri iungunt cũ sequentibus, vt mox dicam.

6 *Pessulum ostij mei*. Heb. per manubria (capulos) pessuli, seræ (nam *manhul* seram propriè notat) q. d. prehensis manubriis & capulis pessuli, vel seræ aperui dilecto meo. Gall. *par les prinses du verrouil, ou de la serrure*. Plurali numero, quasi vna manu vnũ capulũ, altera alterũ corripuerit præ vehemẽtia & cupiditate aperiẽdi. Vbi obserua ostij pessulum fuisse firmissimum, vt qui habuerit duo manubria. Item intus fuisse hanc seram, cuius hic esset pessulus. Se se videlicet sera intrinsecus clauserat & obserauerat. Virgo nõ potest satis tutò & firmiter se includere. Aliqui *Cappoth* q. palmas, volas manuũ, exponũt cardines, intra quos voluitur seræ pessulus. Per illos aperuit Sponso. i. illis euulsis, vt præ celeritate & impatientia clauẽ nõ admouerit, sed cardines pessuli seræ auulserit. Ita hîc Nostri versum incipiunt. Ad Masorethæ claudunt per Soph Pasuc, & cõstruũt cũ præcedenti participio *Transeunte*, vel verbo *stillarunt*, hoc sensu. Digiti mei pleni fuerũt myrrha transeunte super, vel per manubria pessuli. i. transfusa per capulos pessuli, eósque imbuente. Atqui *Transiens* hîc absolutè accipitur pro præstãti, excellenti, & est epithetum Myrrhæ excellentis, cuius odor latè transit, manátque. Vnde Noster eruditè vertit, *Pleni Myrrha probatissima*. Quod li-

quet è verſ. 13. infrà. labia diſtillantia Myrrham trãſeuntem, id eſt, vt Noſter rectè habet, primam. i. præcipuã, primariæ notæ, pretij, odoris. Quare Rabbinorum alij ne diſcedant à ſuorum Maſoretarum diſtrictionibus, conſtruunt cum verbo præcedenti *ſtillauerunt*. Manus meæ ſtillauerunt Myrrham ſuper manubria peſſuli, ea Myrrhæ ſuffitu & nidore perfuderũt. Verùm præſtat iungere cum ſequentibus cum Noſtris, eo, quē dixi, ſenſu, etiam ſi retineatur Soph paſuc. Nam Soph paſuc interdum ſententiã tranſmittit ad ſequentem verſum, vt docet Kimhi. 2. Paral. 30. v. 18. qui verſus clauditur per בעד *pro*, & extenditur in ſequentem. 31. *pro, omni qui cor ſuum præparat*. & quidem in proſa, quãto magis in carmine. *Declinauerat*, verterat ſe ſe, abierat. *Liquefacta eſt*, Ad verb. exiit, extra me fuit præ ſtupore, valde attonita & obſtupefacta eſt. *Non inueni*. ſupra cap. 3. offendit citius, ſtatim videlicet poſt cuſtodes pertrãſitos. Hic tardius & poſt diuturnam quæritationem. Nempe ſecunda iuſtificatio eget maiore conatu & ſtudio, quàm prima. Immò prima eſt merè gratuita, & abſque vllis præcedentibus operibus. Quare illic ſe de repente obtulit, hîc minimè.
7 *Et*. In Fonte maior vis. Nam illic cuncta ſunt Aſyntheta, Percuſſerunt me, vulnerauerunt me, abſtulerũt peplum meum ſeu velum, vel, ex Noſtro, pallium. Eo autem intelligitur velum modeſtiæ, patientiæ, deuotionis, vel puritas doctrinæ. Nam per cuſtodes accipe Pſeudoprophetas & hęreticos, vel tyrannos qui corpora & corda grauiſſimè percellunt. Hinc Abben Ezra Antiochum & ſimiles ei reges intelligit, R. Selomo

Nabugdonoſorem & eius copias.

8 *Dilectum meum*, prop. Amorem meum, delicias meas, per Auxeſim. *Vt nuntietu*, emollinit interrogationem Hebraicam. Quid indicabitis ei? Poſt quam ſibi ipſi reſpondet, Quòd amore langueo.

9 *Ex dilecto*, præ dilecto, præ aliis dilectis, extra, vltra alios dilectos. Hebraiſmus, quo præp. *Ex*, ſiue מן *min* inſeruit comparationibus. Quid habet Dilectus tuus eximij, præ cæteris, quia ſic adiuras nos, quas notas excellentiores & præſtantiores, vt eum à cæteris internoſcamus & diſtinguamus?

10 Occaſione ſumpta ex interrogatione Sioniarum, pingit notis certis ſuũ Dilectum, primùm in genere, deinde per partes & membra decem præcipua. In genere candidus eſt & rubicundus. Nam hæc duo iuncta faciem adoleſcentis reddunt pulchriorem. Cãdidus miſerationibus, rubicundus irâ, Dum probos bonis, improbos malis afficit. Quantum ad litteram depingit Sponſum perfectũ, omnibúſque virtutibus decoratũ. In genere eſt *candidus* totus, ſinceris moribus, candidis, ſine hypocriſi & fuco. *Rubore pulchre ſuffuſus, totus pudens, & modeſtus. Eximius præ millibus*, inter adoleſcentes bene moratus & conſpicuus magnis virtutibus & rebus. In ſpecie. Eſt *capite pure aureo*. i. ſapientiſſimo. 2. *Comis denſis & nigris*, non fucatis, non mollibus, & effœminatis, ſed virilibus & rigidis. 3. *Oculis Columbinis*, pudicis & caſtis. 4. *Genis aromaticis & pigmentatis*, ſuauibus, mitibus, non tetricis, non ſæuis. 5. *Labiis diſtillantibus myrrham*, fundentibus verba myrrhea, incorrupta, non laſciua, non vana & fluxa, non lu-

brica.6. *Manibus tornatilibus aureis*, plenis hyacinthis, industriis, negotiosis, actuosis, plenis bonorum operum, non pigris, huc illuc se versantibus ad labores, studia, negotia. 7. *Ventre eburneo, tecto sapphiris*, puro, continenti, temperato & propè cœlesti, patiẽte inediæ. 8. *Cruribus marmoreis, fundatis super bases aureas*, diligẽtibus, sedulis ad præclaras exercitationes & labores, nunquam se fatigantibus bene agendo. 9. *Specie Libani & Cedrorum*, consuetudine suaui, cõuersatione facili, florente & iucunda. Quantum ad mysterium, iam illud sigillatim per singulos versus patebit. *Electus è millibus*, præ millibus. Numerus certus pro incerto. prop. vexillatus de Myriadibus, siue decem hominum millibus. Nempe quia tot stipatur, quasi vexillum habens, quod decem hominum millia sequantur, vel quia insignis est maximè inter decem millia. Hebræi ad priorem sententiam pertinere volunt illud Dan. 7. Decies centena millia ministrabant ei. Est enim Dominus exercituum. Ad posteriorem Noster suam versionem deflexit.

11 Particulatim per membra incipit Sponsum describere. Pellucet, pretiosum purúmque est eius caput sicut aurum optimum, quod *paz* siue obrizum appellant, inter cunctas auri species purissimũ, & sapientiæ, omnísque pretiositatis symbolũ. Cincinnis est decorus & spectatus præ nigrore rutilãte, nec canis asperso. Per caput Christi Nostri intelligunt diuinitatẽ eius, per capillos multitudinem gratiarũ & perfectionum redundantem in humanitatem ex ipsius diuinitate, vt è capite. Paulus etiam ait Deum Patrem esse caput

Christi, Abben Ezra thronum gloriæ & maiestatis. *Sicut elatæ Palmarum.* Elatæ tenera Palmæ germina ex Hesychio. His comparat comas siue cincinnos Sponsi ob densitatem & rectitudinem. Sunt, inquit, densi, non rari, recti, nō fluxi & dissoluti, quales spectantur in cerebro malè, affecto pituita & humoribus diffluēte. Tallealim, acerui propriè, id est, comæ eius sunt densæ aceruorum instar. *Nigræ.* Capillos cōmendat à nigrore Coruino & rutilante, nullo candore asperso, vt illius temporis iudicium erat. Sic Flaccus laudat

Spectatum nigris oculis, nigróque capillo.

Et alibi,

& nigro crine decorus.

Quod etiam argumentum est fortitudinis & virilitatis. Cincinni, inquit, eius sunt nigerrimi, fortes, viriles, vt in virili & florenti ætate incorrupti, nullis canis aspersi, sicut coru⁹ pluma nigerrima præditus, sine vlla candicātium pēnarū aspersione. Multitudo gratiarū & perfectionū Christi nigerrima est absque vlla canitiei aspergine. i. in suo perpetuo incōprehēsibili statu, vigore, flore. Christus heri & hodie ipse & in sæcula. Heb. 13. idē ipse est perpetuó, idem semper permanet nunquā veterascit, anni eius non deficiunt. Heb. 1. & Psal. 102. Est autem nigror, vt caligo & tenebræ, in quibus Deus inhabitare dicitur, incomprehēsibilitatis Symbolum quemadmodū Dionys. de cælesti Hierar. tractat.

12. Per oculos perspicaci im & acre, subtiléque iudicium Domini, aut eius quoque commiserationem, benignitatem, prouidentiam intellige, propter quam apud Zach. cap. 4. & Prou. 15. Oculi

Domini dicuntur vbique intueri bonos & malos, ac vniuersam terram. Eos commendat à candore lacteo, nempe quia quum oculi duæ sint partes, vt docet Arist. lib. 1. de historia animaliũ, vna candida, altera nigra, ille est longè pulcherrimus, qui quamque partem suo colore insigniter tinctam habet. Nam pupilla glauca vel hircina, & candor oculi obscurus vel mixtus pulchritudini plurimùm detrahunt. Quòd similes dicantur columbis siue columbarum oculis respicitur ad simplicitatem & castitatem. Oculi hi loti sunt lacte, quia sunt candidissimi & maximè sinceri, siti iuxta fluenta plenissima, quia rigãtur largiter humore suaui cristallino ad fouendam & conseruandam aspectus acrimoniam, vel iuxta alios, collocati super impletioné. i. in inclusione sua & tanquam pala seu concauitate, quoniã nec nimium extant, nec nimis depressi sunt. Verbum enim implendi apud Hebræos, sæpe dicitur de inclusione gemmarum & pala, in quam gemma immittitur. *Columbæ.* Nominatiuus pluralis, vt Heb. *Ionim.* i. vt columbarum oculi. *super riuulos*, iuxta, ad riuos. Nam colũbæ frequentant aquas, eisque delectantur. Quo Hebraismo Ioan. 4. Iesus sedebat supra fontem, id est, iuxta, ad fontem. *Quæ*, quarum oculi sunt loti lacte, id est, candidissimi & quasi lactei. tam puri & candidi, quã si essent loti lacte. *Super fluenta plenißima*, interpretatur hæc Hebraica, *Super plenitudinem*, aquarum videlicet. Nam Columbæ aquas intuentes pulchriore & lætiore sunt oculo. q.d. Oculi eius sunt candidi & læti, non tristes, tetrici, sicùt Columbarũ ad aquas sitarũ, quarum tum oculi

sunt lætiores & pulchriores propter aquæ siue refocillationem siue reflexionem. Et sic R.Selomo intellexit. Nam mysticè exponit super plenitudinem orbis, quòd perlustret Dominus oculis æquis serenísque totum orbē. Aquæ passim sunt huius instabilis & fluxi mundi Symbolum Alij non ad plenitudinem aquarum, sed annulorum referunt. Oculi eius nec nimium procurrunt, nec nimis profundātur, sed sunt sicut gemmæ positæ in suo orbe & plenitudine. Quod hîc dicitur, *Loti lacte & resident super plenitudinem*, Hebræi referunt ad oculos, Nostri ad Columbas, vnde legūt *Lotæ*. Sanè ad vtrosque pertinet. Nam & oculi tam Sponsi quàm Columbarū sunt lactei & siti iuxta plenitudinē aquarum vel palarū, eo sensu quem explicaui. Sed melius Noster, id est, melius *lotæ* quàm *loti*, & *sitæ* quàm *siti*. Quoniam Salomon solet ad comparationes Epitheta referre, non autem ad res comparatas, vt doceat cuius causa & respectu similitudinē afferat, & quò eam restringat. Alioqui omnis vaga similitudo claudicat. Posteà autem facillimè ad rem comparatam & assimilatam reducitur.

13 Genæ Sponsi siue malæ sunt suaues, & plenæ confertæque gratiis & virtutibus, vt aromatum areolæ, & turriculæ, siue pixides pigmentorum (Gall. *boetes de senteurs*) suauibus odoribus. Labia eius fundunt dulcedinem, veritatem, immortalitatē, iuxta illud, Verba vitæ æternæ habes, secundum Myrrhæ proprietates, amaræ quidem vt veritas, at vtilissimæ ad odores, & ad conseruanda à putredine corpora. Per Genas Hebræi quidem ferè intelligunt duas diuinæ legis tabulas, sed nos

rectius pudorem, honestatem, modestiam vitæ, mansuetudinem, suauitatem consuetudinis siue conuersationis Christi, quæ omnia apparent in genis. Infra oculos, inquit Plinius lib.11. cap.37. malæ, tãtum homini, quas prisci genas vocabãt. Ibi ostenditur pudor. *Tam suaui*, modesta, mansueta vita, tam dulci consuetudine & verecundia fuit Christus, vt de eo Esaias scripserit cap. 42. Non clamabit neque audietur vox eius foris, Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans nõ extinguet, In veritate educet iudicium, non erit tristis neque turbulentus. Hinc cap.53. eum comparat oui, etiam eo tẽpore quo ad cædem ductus est. & in Euangelio nunquam iracũdè locutus deprehenditur, nisi quando zelus Dei eum comedit & immutauit, Ioan.2. Hęc eius vita areola est aromatum, & pixis pigmẽtorum, quasi cornucopia omnium virtutum & perfectionũ. Per labia verba eius atque eloquia, quæ tam suauia extiterint, vt in communi colloquio neminé vnquam offenderit, cunctis non malignè affectis placuerit. Comparantur Myrrhæ, fortasse quia fundebant veritatem, quæ amara est improbis, vt myrrha. Aliud sequitur Abben Ezra, & ista duo refert ad duo Angelorum genera. Genas ad *Sare happanim*, principes, qui nunquam discedunt à Dei vultu. Labia, ad *hammalachim hasseluhim*, Angelos administratorios, qui ad homines mittũtur, & per quos, tanquam per labia, loquitur. Qua ratione D. Dionys. in cælesti Hierarch. è Daniel.7. alios semper assistere Deo, alios foras mitti docuit. Denique Abben Ezra cuncta hæc Sponsi membra, vel ad aliquã Dei virtutem, conditionem

conditionem,operationem, vel ad naturæ opera transfert,cum alij,vt R. Selomo,ad Ecclesiæ mysteria. *Consitæ à pigmentariis.* In Hebræo altera est similitudo,*Turricula pigmẽtorum*.i.genæ illius sunt flores crescentes instar turriũ, è quibus fiunt pigmenta,quibus fortasse in genis respõdent pulchri pilorum flocculi,in illis succrescentes. Nam gena est pars illa faciei exterior rotũdula,quæ barbam emittit,Gall.*Ioue*. Nec disputandum an non vox Heb.לחי *Lehhí* propriè significet maxillam siue mandibulam. Nam vtramque vultus partem significat pro loci commoditate, & tam latè patet quam apud Latinos mala, quæ apud Cicero.de Orato.Maxillam,partẽ illam oris,qua mãdimus, designat, imò è maxilla,ad Euphoniam dũtaxat, contracta est,vt Ala ab axilla, Palus à Paxillo, velum à vexillo: Et apud Plin.lib.11.cap.37.Genam, quæ emittit barbam.Malas, inquit Plinius lib.11. cap.37. infra oculos Prisci genas vocarunt. Sic *Lehhi* mandibulam Iud.15.Genam Lamenta.1.ver. 2.& supra cap.1. apertè, imò & per totum hoc Cãticum.Quòd autem genas hîc comparet turriculis pigmentorum, potiùs quàm mandibulas, apparet ex eo,quòd genæ,non mandibulæ,turricularum speciem gerãt,vt proinde malas eas Latini appellarint, quòd rotundam mali speciem præ se ferant. Vnde & cap. 4. suprà Salomon illas cum fragmine mali Punici contulit. Quò fortasse respexerunt hi,qui Turriculas hîc thecas siue pixides odorum interpretantur. Sed malo vt alludat ad Topiarios. Veteres enim in hortis suis varias figuras deliniabant, & huic rei præficiebant,quos Latini topiarios appellarũt.Ita ergo

fortasse pigmẽta disponebantur. Indicat Christũ multis abundare pigmentis, suauitatibus & consolationibus.
14 Manus Sponsi, opera eius. Vnde ab Arist. vocantur organum organorum. Nam manus plura & magis varia opera efficit, quàm vllum organum siue instrumentum. Quin & omnia organa fabricat. Illa autem Sponsi opera sunt pretiosa, verè aurea, siue considerentur humana siue diuina. Nam humana erant in infinitum meritoria propter infinitam Personæ dignitatem & excellentiam. Diuina plena erant miraculorum & virtutum, erant salutaria & consolatoria non tantùm his, quibus exhibebantur, sed & omnibus nobis. Nam per ea confirmati sumus in fide, agnouimus omnipotentiam Dei, maiestatẽ & gloriam Messiæ, &c. Vtraque abundabant annulis aureis, & hyacinthis, quoniam pretiosissima, præsertim ea, quibus redempti sumus. Non enim redempti sumus auro corruptibili, sed ipsius sanguine, quibusuis annulis aureis & gemmis pretiosiore. *Venter*, siue viscera, amor quo nos est prosecutus. Illa nitent in modum eboris tecti sapphiris cœruleis, qui cæli est color, quoniam eius erga nos amor primùm instar eboris est candidissimus, purissimus, sine fuco, pretiosissimus: deinde cœlestis & varius, vt distinctus rectúsque videatur sapphiris, cœrulei cœlestisve coloris notis pũctísque, quibus decoratur sapphirus. Alij intelligunt interiores & arcanas cogitationes Domini, quæ sunt variæ & purissimæ. Cogitationes meæ, inquit apud Esaiam, cogitationes pacis, & non afflictionis. *Tornatiles au-*

rea, tornatæ & circundatæ annulis aureis. Vnde in Fonte, Orbes (annuli) aurei. Metonymicè, ornatæ tot annulis aureis, vt nil quàm orbes circulique aurei putentur. *Plena*. Verbū *implendi*, apud Heb. enuntiatur de inclusione Gemmarum, siue de concauitate annulorum, quatenus impletur gemmis, vt notaui versu 12. Manus eius abundāt annulis, in quorum palis inclusi sunt hyacinthi, aliíve lapilli pretiosi, quicunque tandem illi sint, quos Hebræi vocant *Tarsis*. Nam quales illi sint adhuc quæritur. *Venter*, viscera prop. quorum capedo est venter. Interiora eius sunt firma, non fluxa, non obnoxia pollutionibus, carnísque motibus, vt ebur. *Eburneus*, nitor eboris, duobus vocabulis in Fonte. *Distinctus*, tectus, ornatus sapphiris, variegatus punctis sapphiri cœruleis. In Fonte non construitur cum *venter* siue *viscera*. Viscera eius sicut nitor eboris tectus sapphiris, vel, vt referatur ad Ebur, tecti sapphiris. At idem est sensus, dum quod in comparatione dictū est, postea debet ad comparatum aptari, vt supra docui vers. 12. Sapphirus autem genus est lapidis preciosissimi in Scriptura. Quare non videtur esse noster vulgarus, vt qui non sit valdè pretiosus, sed grandis, crassus, obscurus.

15 Crura, robur, vires in suscipiendis laboribus, sedulitas, quā in fungendo concionandi munere adhibuit, & quotidie per suos adhibet. Non fatigatur, inquit, agendo, consolando, patiendo, euāgelizando, peragrando pagos, castella, vrbes, regiones ad euangelizandum, miracula patrāda, & lucrandas Deo animas, adeo vt crura videatur habere marmorea, fundata super firmas & pre-

tiosas auri bases. Origenes simili tropo appellatus est adamantius, quasi esset inuicto & adamãtino pectore, non succumbente laboribus loquendi, scribendi, docendi, exhortandi, disputandi contra paganos, hæreticos, philosophos. *Species eius vt Libani.* Epiphonema summatim propenés tãti adolescẽtis præstantiã. Tota eius species vt Libani viridis, florens, procera, dulcis, iucunda, & amœna. Nam hæc omnia spectantur in saltu & nemore Libani. Abben Ezra refert ad admirabilitaté. Tota eius species est admirabilis qualis est Libanus. Quo plus cernitur, eo maiorem excitat admirationem & mirabiliores sui amores. vt in Libano quo quis interius progreditur, magis ac magis admirabiles spectat arbores. Per speciem siue aspectum intelligit opera Domini, in quibus ipse cernitur Rom. 1. Nam in eis omnibus est Dei vel imago vel vestigium. Nos totam Domini personam, cunctásque qualitates nobis cognitas. Nam מראה Marhé species, aspectus, res visui obiecta, vt Exod. 3. Videbo visionem hanc magnam. i. flammam ardentem in rubo, nec eum consumentem, oculis meis obiectam. Sic hoc loco aspectus id, quod videtur in Sponso, non quo videt Sponsus. Species eius, hominum oculis obiecta tota est mirabilis. *Vt Libani*, species. Alij in nominatiuo vertunt, *Vt Libanus*, qualis cuiúsve speciei, formæ, præstantiæ est Libanus. Eodé perpetuo sensu. *Electus*, egregius, eximius, erectus. *Vt cedri*, propter magnitudinem robur, staturam.

16 *Guttur*. Hebr. per Auxesim palatum eius dul-

cedines,id est,mera dulcedo,quàm dulcissimum, quàm suauissimum. חך *hhec* prop.palatum. Ar*garon* guttur. Quantùm ad sententiam nihil admodum refert. Nam perpetuò verbum Sponsi significatur, quouis melle dulcius, purum afflictarum animarum solatium. Idque quoniam vtroque instrumento articulata vox perficitur, sed suauius palato, quemadmodum literæ Hebræorum palatinæ sunt gutturalibus multò suauiores. Alia humanæ siue articulatæ vocis instrumenta sunt tria, lingua, dentes, labia, quæ proinde etiam metonymicè accipiuntur pro verbo, sermone, loquela, præsertim lingua & labia. Appellat igitur, etiam hîc palatum siue guttur verbum Sponsi & orationem. Illud est dulcedines. Nam quid (inquit R. Selomo) dulcius quàm Lex & Prophetæ, quorum hæc est summa. Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Quò pertinet illud Esaiæ, Omnes sitientes venite ad aquas, properate, absque argento emite, comedite, bibite vinum & lac. Immò totus Esaias, præsertim à cap. 40. ad finem vsque, quæ idcirco pars à veteribus Rabbinis inscribitur liber *Nehhamoth*, consolationum. Sic in Euangelio, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Discite à me quia mitis sum. Et sanè Euangelium, id est, Christi vox & oratio multò Lege & Prophetis dulcior. Nã tota est de iustificãdis hominibus, de adoptãdis, de eorum remittẽdis peccatis, de vita æterna eis danda, de alliciendis ad regnũ Dei, de consolandis in hac vita, de liberandis à malis &

afflictionibus, de iuuandis, augendis, ornandis, ditandis, &c. *Desiderabilis*. in Fonte alia Auxesis. Totus est desideria, id est, expetendus & desiderandus modis omnibus. *Talis*, Conclusio per Epiphonema. Ille est Dilectus meus, his notis & signis à vobis dignoscetur & distinguetur à cæteris



CAP. SEXTI ARG.

Se & sua vicißim describunt & efferunt.

SPONSA.

1 Dilectus meus descendit in hortum suum, ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis & lilia colligat.

2 Ego Dilecto meo, & Dilectus meus mihi, qui pascitur inter Lilia.

SPONSVS.

3 Pulchra es amica mea, suauis & decora, sicut Hierusalem, terribilis, vt castrorum acies ordinata.

teris. *Amicus*, socius propriè.

17 Hæc interrogari in malam partem putat R. Selomo, intelligens per filias Hierusalem exteras nationes. Rectius Nostri in bonam, de particularibus Ecclesiis, quæ cum Catholica se iungunt, vt Christum inueniant & nanciscantur.

SPONSA.

1 *Suum reuisens hortulum,*
Ad areas aromatum
Dilectus ille transiit.
Illic vbi lectissimis
Se pascat horti fructibus,
Et cana carpat lilia.

2 *Sum tota prorsus illius,*
Vt ille totus est meus,
Qui septa captans florea
Se pascit inter Lilia.

SPONSVS.

3 *Es Tirsa pulchritudine,*
O Sponsa quam perdiligo!
Es suauitate Sollyma,
Es & reformidabilis,
Ceu ordinatæ copiæ
Strictis cluentes ensibus.

4 Auerte oculos tuos à me,quia ipſi me auolare fecerunt. Capilli tui ſicut grex Caprarum, quæ apparuerunt in Galaad.

5 Dentes tui ſicut grex ouium,quæ aſcenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus,& ſterilis non eſt in eis.

6 Sicut cortex mali Punici: ſic genæ tuæ abſque occultis tuis.

7 Sexaginta ſunt reginæ & octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus.

8 Vna eſt Columba mea, perfecta mea. Vna eſt matris ſuæ,& electa ge-

4 *Tuos ocellos paululum*
Hinc in latus conuertito:
Nam me retrorſum tranſuehunt
Horum micantes flammulæ.
Vtrinque cernam ſplendidos
Tui capillos verticis,
Quali pilo nos cernimus
E paſtione Gallaad
Greges redire capreos.
5 *Cernam gemellos dentium*
Iunctos & albos ordines,
Quos ritè,tonſo,dixerim
Pares bidentum velleri,
Quæ cum gemellis partubus.
Aqua nitente prodeunt,
Secum nec orbam ſuſtinent.
6 *Quali rubore cortices*
Mali videntur Punici,
Tali genas cernam tuas,
Præter capillos flexiles,
Quos ſtringis intrò coccinis.
7 *Sunt Sollomoni regiæ*
Et ſexaginta coniuges,
Et octoginta pellices,
Et mille plusquam virgines.
8 *Mihi ſed aſtat vnica,*
Quam præter,odi cæteras.
Columba ſimpliciſsima,

nitrici ſuæ. Viderunt eam filiæ, & beatiſſimam prædicauerunt: Reginæ & concubinæ, & laudauerunt eam.

9 Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata.

SPONSA.

10 Deſcendi in hortum nucum, vt viderem poma conuallium, & inſpicerem ſi floruiſſet vinea, & germinaſſent mala Punica.

11 Neſciui, anima mea conturbauit


Amica, coniux & soror,
Perfectione nobilis,
Suæ parentis vnica,
Matri suæ lectissima.
Hanc conspicatæ Virgines
Dixêre fœlicissimam.
Hanc imperantes fœminæ,
Hanc concubinæ regiæ
Dignis tulêre laudibus.
9 *Hæc, oro, quænam est, inquiunt,*
Vt clarus, ardens, Phosphorus.
Vt Luna, formosissima,
Vt Sol nitens, lectissima.
Splendore mundum territans,
Vt ordinatæ copiæ
Strictis cluentes ensibus.

SPONSA.

10 *Iuglandis hortum transij,*
Vertente veris tempore,
Vt poma se promentia
Hinc inde lætis vallibus
Soluta curis cernerem.
Et conspicarer sedula,
Num vitis vltro germinans
Gemmas tumentes truderet,
Num parturirent flosculos
Mali rubentes Punicæ.
11 *Illuc gradu tam præpete*
Me cogitando contuli,

me propter quadrigas Amminadab.

12 Reuertere, Reuertere Sullamithis, reuertere, reuertere, vt intueamur te.



COMMENTARIA IN CAP. VI.

RESpondet Sponsa puellis, quærentibus quò esset profectus Dilectus ille tantoperè celebratus, tot laudibus & ornamentis insignitus. nempe *in hortum suum*. i. in sedem Ecclesiæ, in locum religionis, ad Ecclesiam ipsam, quam cap. 4. horti vocabulo affecit. Extra Ecclesiam Christus non conuenitur. Vnde R. Selomo per hortum intelligit templum, per Aromata Thymiamata, quæ in templo adolebantur. *Vt pascatur in hortis*, vt pascat se in Ecclesiis singularibus, & colligat lilia. i. sancta opera, eáque probet & remuneret. Aliqui actiuè per Eclipsim. *Vt pascat* oues suas, *in hortis*.

2 *Dilecto*. Hebraismus, Datiuus pro genitiuo in possessionibus. Nam *Lamed* articulus propriè datiui casus, quando significatur possessio, fit genitiui. Ego sum Dilecti mei, ad Dilectum meum attineo, me ille totam sibi possidet. *mihi*. i. meus est. Nam

Vt nescientem traxerit
Me mens procul, celerrimis
Velut quadrigis, qualibus
Nomen dedit Gamminadab.
12 *Donec reducor in viam,*
Retrò loquentum vocibus.
O Sullamithis restita,
Redi, rogo, redi, redi,
Nobis videndam te dato.

Nam sumitur per superiorem Hebraismum possessiuè. Vicissim Dilectus meus est planè meus, ad me omnino attinet, illum ego totum possideo, vt ad aliam nunquam sit diuersurus. *Pascitur*, pascit propriè per Eclipsim Accusatiui. Pascit se scilicet, vel oues, vt sup. versu. Cætera, cap. 2. v. 16. Vbi hic versus occurrit, sed transpositus.

3 *Suauis*, Heb. Ketirsá, sicut Tirsa (vrbs de qua post) & appellatiuè, sicut suauitas, gratitudo, beneplacitum, sicut res grata & accepta. Posteriore modo, vt sit appallatiuum Nostri intellexerunt, vt & 70. ὡς εὐδοκία, & ex Hebræis R. Selomo. Quod Chaldęus sequitur, dum sic interpretatur. Pulchra es hodie tempore secundi templi, sicut accepta fuisti olim tempore primi. Et sanè Tirsa tempore Salomonis non videtur fuisse tātæ pulchritudinis & gloriæ, vt ei comparari potuerit Ecclesia. Nam eam consecuta videtur post mortem Salomonis & scissum eius regnū, dum illam

Ieroboam & reliqui reges Iſrael, vſque ad Amri patrē Achab ornarunt,& metropolim capútque regni decem tribuum cōſtituerunt,conati æquare Hieroſolymæ,in qua erat ſedes regni Dauidici, ſiue duarū tribuum & cathedra religionis. Priore modo, vt ſit proprium vrbis,alij. Tirſa autem regia erat Regum Iſrael ante Samariam, ad id delecta ob pulchritudinem & amœnitatem, 3. Reg. 14,15,16. Sic Ieruſalem longè pulcherrima vrbium Orientis, inquit Plinius lib.5. Nat. hiſt. cap.14. vrbs perfecti decoris,Lament.2.velut caput in corpore eminens,ſplendidíſque ædificiis, ſicut Sol præ cæteris lucens, Ioſeph. 3. belli, c.2. Denique Eccleſia ei comparatur,quòd multis ornamentis per totū Orientem fulgeret,ciuitas Dei electa in domum ſacrificij,& ſedem religionis,2. Par.7.ſancta,glorioſa, fundata in montibus ſanctis, Pſal.47. & 86 Matt.4. & 5.loci eminentia, cœli ſolíque fœlicitate cunctas mundi vrbes ſuperans,orbis veluti vmbilicus, centrum,miraculum, gaudium vniuerſæ terræ, Ezech.5 & 38. Pſ. 73. & 47.à Dauide metropolis regni & religionis conſtituta,à Salomone aliiſque Regib Iudæ amplificata, validiſſimis portis, turribus,muris, foſſis,tēplo,palatiis munita, loci ſitu tuta, velut terrenus paradiſus, Ioſeph.lib.1. contra Appionem, lib.1.belli.cap.13.lib.5 6.& 7.&c lib 8 Antiquit. c.2. Strabo libr 16.Geog. circuitu quinquaginta ſtadiorū, & foſſa in lapide excita ſexagenûm pedum profunditate, ducentorum & quinquagenûm latitudine. Ibid. habitatio Prophetarum, Chriſti,Apoſtolorum, ſanctorum præcipuorum veteris Eccleſiæ, typus non modo in terra mili-

tantis, sed & in cœlo triumphãtis. Apoc 21. Tob. 13. Heb. 13. *Terribilis*, formidabilis procis & impuris, grauitate & maiestate terrorem æmulis incutiens. *Vt castrorum acies ordinata*. Doctè. Ad Verb. vt vexillata, sup. castra. Nam Rabbini docẽt subaudiendum substãtiuum cõmodum מחנות *Mahhanoth*. vt copiæ vexillis ductæ & collectæ in ordinem. Hîc obserua mulieris præcipuas virtutes, venustatem & suauitatem erga maritum, erga reliquos maiestatem.

4 *A me*. propriè ex aduerso mei, Gall. *de deuant moy*. A conspectu mei aufer, circumduc, retrahe oculos tuos: Nam ea es oculorum pulchritudine & luce, vt meos perstringas, tuísque cogas cedere. Anthropopathos de summa eximię pietatis vi, vt à Deo omnia extorqueat. Sic Iacob in lucta præualuit Deo, indéque nomen Israelis est consecutus Gen. 32. Sic Moses in iúdiciis, quæ Deus exercere statuerat contra populum Exod. 32. *Me auolare fecerunt*, prop præualuerunt mihi. Describitur encomium Ecclesiæ, vt supra initio capitis quarti, paucis immutatis. Nec aliene putant encomium illud pertinuisse ad Ecclesiam veterem, id est, Synagogam, hoc ad nouam, id est, nostrã. Vtraque habet eadem membra & iisdem notis illustria. Quoniam eandem fidem, eandem gratiam, promissionem, expectationem, doctrinam, religionem. Oculi eius sunt sincera pietas & fides, vel pij pastores & doctores. Capilli, multitudo fidelium.

5 Dentes candidi, omnes suo officio fungentes, inter quos nullus sit sterilis, id est, inutilis, vitiatus & putris, qui in ea sunt firmiores, nec indigẽt

lacte,sed cibo solidiore. Hæc etiam commemorata sunt cap. 4. Quibus si iungas laudes Sponsæ attributas cap. sequenti, percipies (quantum ad literam) pingi Sponsam perfectam, cunctísque virtutibus & gratiis instructam, vt taceam mysterium per singulos versus & capita sparsim à nobis explicatum. In genere est *pulchra, suauis, & decora sicut Ierusalem*, in qua erat sedes religionis, nempe moribus excellentibus & pietate insigni. *Terribilis vt castra bene ordinata*: nempe seuera, grauis, inuicta, & inexpugnabilis iis, qui tẽtant eius virtutẽ & pudicitiam. *Columba, integra, chara parentibus*, ob obedientiam, pudorem, castitatem, &c. In specie *oculis Columbinis*, lætis, pudicis. 2. *capillis intra vittam coccineam inclusis*, non foras eminentibus, non tortis, non fucatis, &c. 3. *dentibus candidis, fungẽtibus suo officio, non putridis* ex gula, intemperantia, otio, &c. 4. *genis rubicundis*, pudentibus, verecundis. 5. *labiis coccineis*, eloquio dulci, verecundo, pudico. 6. *collo munito honestis ornamentis* & torquibus, vt Turris Dauid clipeis, ne nuditate quenquam vulneret. 7. *vberibus æqualibus & succulentis*, ad alendos per se liberos & æqualiter. 8. è sequenti capite, *gressibus pulchris*, pulchro & decenti incessu *& calceis nitentibus*, non lutulentis nimia cursitatione & peruagatione. 9. *femoribus probè iunctis*, non vagis, non luxatis, non dissolutis, & præuaricantibus. 10. *vmbilico benè temperato, nunquam indigente potu mixto*, non calente ad libidines & affectus. 11. *ventre, instar acerui tritici, vallato liliis*, & munito niueis, & suauiter olentibus virtutibus, temperantia, continentia. 12. *naso instar turris respicientis versus Damascum*, acri iudicio, sagacitate.

gacitate, prudentia, procul respiciente ad rem familiarē. 13. *capite eleuato vt mons Carmelus*, ob testimonium rectæ conscientiæ, non deiecto & demisso. 14. *Coma vt purpura regia vincta canalibus*, vittis coercita, non pōpaticè ostentata, non extrinsecus torta. 15. *Statura palmea*, spectāte in cœlum, ad illud suspirante, non succumbente oneribus. 16. *Gutture*, siue *palato*, *vino optimo simili rectà tendente ad Sponsum*, amabili, se solùm suo coniugi cōmunicante. Quæ sunt dotes, quas Deus requirit in probis fœminis, Prou. 31. 1. Pet. 3. 1. Timot. 2. & alibi.

6 Genæ siue tempora, ex occultis comis fulgētia, ad quæ occultata vittis coma propendet, qui pudicitiæ & pudori student. In temporibus enim & genis pudor maximè cernitur. *Absque occultis tuis*, absque coma tua, quam occultas vitta coccinea & rubente. Ad verb. præter vel intra comam tuam. Quin & R. Iona vocem צמה *Tsammá* non *comam*, sed velum exponit, vt Es. 47. quo scilicet pudicæ constringunt suos capillos, ne effluant.

7 *Adolescentularum*, virginum prop. Nam *Aalamoth* est plurale singularis *Aalma*, quo vsus est Esaias c. 7. Ecce virgo concipiet. Vnde & hîc eas opponit vxoribus regiis & concubinis. Solus Kimhi & Rabbini recentiores cōtendunt vocem illam enuntiari de qualibet puella, siue illa sit virgo siue corrupta. Reginæ sunt vxores regiæ, quæ assumebātur non solùm ad thorum, verum etiam ad familiam, familiæque opes, iura, communionem. Cōcubinę autē, siue Pelagsim, vxores vsuariæ, non dotatæ, quæ accipiebantur in vsum thori, sed non bonorum & familiæ. Vnde earum fi-

liis nõ cedebat hæreditas;ſed munera.Et ſic cuncta quæ poſſederat Abraham filio Iſaac dedit,filiis autem concubinarum largitus eſt munera, eóſque ſeparauit ab Iſaac filio ſuo dum adhuc viueret, Gen.26. Alluditur autem ad numerum vxorum & concubinarum Salomonis, niſi quòd multò plures ad extremum habuerit,id eſt,mille: ſeptingentas,videlicet Reginas & trecentas concubinas, 3.Reg.11.in quo tacitè hîc perſtringitur. Eccleſiæ ſimiliter impudicæ & malignæ ſunt multiplices. Alij Mahumetani, alij Iudæi, pars Idololatræ, pars Mauri, nonnulli hæretici, quidam ſemichriſtiani,& horum omnium variæ familiæ & multiplices.Gentes iſtorum celebriores prò reginis hîc habentur,aliæ pro concubinis.

8 At vna eſt ſancta,Catholica & Apoſtolica Eccleſia, quam Deus Sponſæ loco habet: vide Pſal. 43.Noſter Epiphanius in epilcgo Panarij hunc locum ita tractat. Reginæ, inquit, ſunt quæ iam antea in genealogiam nomina dederunt animæ. Vt enim Regem comitantur multitudines magnæ.Rex autem eſt caput, ſicut cum in corpore multa ſunt membra, à capite vnus homo numerabitur, ita ab vno Rege tota multitudo quæ ſub Rege eſt ad vnum reputabitur.Regina autem appellata eſt generatio in Chriſto, non quòd omnis generatio regnarit, ſed quòd vna quæ agnouit Dominum,per appellationem,viri cauſa, regiam dignitatem ac ordinẽ habeat.Verbi gratia,Adam & tota ipſius generatio Regina numerabitur, Principatus autẽ ipſius & Patriarchatus,qui regnauerunt cum his, qui cum ipſo fuerunt, propter cognitionem Dei & propter formationem,

qua formari primus dignus factus est, & quòd primus pœnitentiam ostendit, velut rerum consequētia habet, deinde post hunc Seth & vniuersa cum ipso humana Natura, & Enos, & Caïnam, & Malaleel, & Iared, & Enoch, & Mathussala, & Lamet, & Noë, his sanctis ex ordine in numero per generationes enumeratis, quorum numerus apud Matthæum indicatur. Sexaginta enim generationes & Patriarchatus apud ipsum habētur, per nomina præstantiorum virorum, qui cognitionem Dei habuerunt. Ab Adam enim vsque ad Christum sunt generationes 62. quæ hic 60. per compendium numerātur, vt cum 72. stirpes palmarum in lege 70. nominantur. Pellices autem sunt sectæ & hæreses. Ecclesia autem vna est ab vna fide genita per Spiritum Sanctum. Ab Epiphanio non multum abludit R. Selomo. Nam numerum sexaginta reginarum ad Abraham & eius filios transfert, nēpe Ismaëlem cum filiis suis tredecim, Isaac cum duobus Iacob & Esau, Iacob cum filiis duodecim, Esau cum sedecim. Hi enim simul iuncti conficiunt sexaginta. Octoginta autem concubinarum ad Noë & generationes ab eo descendentes vsque ab Abraham, vt minus celebres & pias. *Perfecta*, integra. *Vna matri suæ*, vnica est Synagogæ. Ecclesiam vnicam Synagoga peperit. Aliæ Ecclesiæ sunt filiæ concubinarum. i. gentium exterarum & humanarum. Epiphanius matrem & genitricem fidem & religionē veram intelligit, quæ peperit Ecclesiam. *Electa*, pura, eximia, vel chara. *Filiæ*, aliæ gentes, beatam eam prædicarunt. Nam ex omnibus gētibus multi, immò totæ gentes se ei adiunxerunt. *Reginæ & concubinæ*

gentes tam nobiles, quàm ignobiles & barbaricę. *Et laudauerunt eam*, dicẽdo ſup. id quod ſequitur. Eſt enim Mimeſis Hebræis familiaris per eclipſim Gerundij לֵאמֹר. *Lemór.*

9 Inter alia ſydera in cœlo fixa, Luna maximè noctu perſpicua, interdiu Sol: Sic Eccleſia in mõte poſita vtroque tempore, tam rerum videlicet aduerſarum quàm proſperarum, quarum ſymbola ſunt nox & dies, formidabilis Diabolo & cæteris hoſtibus, vt vexillata ſup. caſtra. i. vexillis inſignita & ducta, vt caſtrorum acies ordinata & inſtructa, vti Noſter interpres eleganter tranſtulit. Nam Hebræi ſubaudiũt מַחֲנוֹת caſtra. *Quæ progreditur*, proſpectatur prop. è loco edito proſpicitur, vt Aurora magis ac magis augeſcens, & pũcto totum noſtrũ orbem illuminans. Sic enim Eccleſia tam vetus quàm noua à paruis initiis ad maxima incrementa progrediẽs illuxit toto orbe. *Electa vt Luna*, lucens pulchrè in tenebris, pura vt Sol diem illuminans, imò & efficiens, vmbráſque depellens.

10 De hoc verſu controuertitur, cuiuſnam verba ſint, Sponſi ne an Sponſæ. Hebræi exiſtimant verba eſſe Domini, ſeu Sponſi quærẽtis, num ager ſuus fructum afferat. Alij, quorum potiorem ſententiam exiſtimo, verba eſſe Spõſæ deſcendentis vt videat fructus, qui rigantur in vallibus, torrẽtium defluuio, &c. nempe vt videat an Dominus ſecum myſteria ſua communicaturus ſit, an ſigna ſalutis, gratiæ, donorum ſibi oſtenſurus ſit. vel vt videat num bona opera ſui ediderint. Hîc autem noua & quarta eſt narratio. i. actus quartus & poſtremus. Hortus nucũ Scriptura ſacra, pietas, de-


uotio,virtus,quorum testa & cortex exterior durus, & amarus, nucleus dulcis ac suauis. Hinc Apoc.10.& Ezech.3.Liber amaricans ventrem,at in ore dulcis tanquam mel. Aliis est conscientia cuiusque.Sic ferè Abben Ezra, quoniã hunc nucum hortum Synagogam interpretatur vel eius cor. *Poma conuallium*,fructus nascentes in vallibus magna copia propter soli irrigui bonitatem. vox *Nahal* etiam torrenté designat. i. vallem, per quã torrẽs,siue hybernum flumen fluere solet, quando liquãtur niues, & similia meteora. *Mala Punica*,vel mali Punicæ.

11 Sponsa his verbis describit celeritatem, quam adhibuit in petendo nucum horto. Cæterum qui hîc vocatur Hamminadib,alias appellatur Hamminadab. Lyranus respexisse ait Salo. ad Amminadab filiũ Aram abnepotem Iudæ Patriarchæ.1. Par.2.socerum Aaronis Exod.6.quẽ Hebræi scribũt ducem fuisse tribus Iuda in exitu ex Ægypto, & primum post Mosem in diuisas Rubri maris aquas ingressum esse citra hæsitationem. Fuit & alius Amminadab frater Dauidis Regis.1.Reg.17. Hypotyposis ergo ardoris & celeritatis est eiusmodi. Me nescientem, non sentientem, aliud cogitantem mens mea tãta celeritate in hortum vel trãs hortum Nucum abripuit, ac si fuissem vecta quadrigis,quib⁹ vtebatur princeps Amminadab, vel quas adinuenerat. Nõnulli appellatiuè exponunt,pro populo principis, aut etiam pro populo principe per Eclipsim præp. inter, aut alterius commodæ,vel etiam Infi. להיות *ad essendum*, vt essem currus populi principis.i.gentium imperantium. Nam *Am* & cum Iod paragogico *Ammi*

populus, *Nadib*, princeps, magnificus. Sic R.Selomo, Abben Ezra & Anonymus.q.d. Posuit me anima mea currum & quasi dorsum gentium, vel reuocauit me anima mea ad studia reliquarum gentium, propter splendorem imperiorum. Negligentia membrorũ Ecclesiæ ipsam huius mundi potestatibus subiicit & mancipat, adeo vt ab iis multa indignè patiatur. Hoc sequitur Noster interpres, nisi quòd pro nomine proprio accepit *Amminadab*. Propter quadrigas sumptuosas, magnificas & splendidas, quibus celebratus est Amminadab. i. vt eis fruerer, anima mea me conturbauit, & ab horto nucum longius abripuit. Propter bona & opes huius sæculi mentis pietas, fides, virtus, tranquillitas perturbatur, & læditur, adeo vt abducti à contemplatione & virtute, versemur in turbis, affectibus & passionibus sæculi, &c. *Conturbauit me* ad Verb. Posuit me anima mea quadrigas Amminadab. *Anima*, mẽs, mẽtis ardor, & vehemens cogitatio. Aliqui metonymicè, desiderium & voluntas.

12 Verba filiarum Hierusalem reuocantiũ Sponsam tam celeriter per imprudentiam delatam ad rectum horti iter. q. dicant, redi in viam, transis nucis hortum. Hebræorum aliqui verba esse volunt gentium dehortantium Ecclesiam à recto, quod iam cœperat, itinere. Alij Domini inuitantis populum ad egressionẽ ab exilio. *Sullamithis*, Sullamith vulgo interpretantur Hierosolymitanam, patronymicè à Salem, quæ postea dicta est Ierusalem, vt Sunamith, & Latinè Sunamithis, à Sunem, quòd Ecclesia à Ierusalem ortum acceperit. Alij integram, perfectam in fide, vel etiam pa-

cificam appellatiuè vt R. Selomo. Nam *Salam* integrum vel pacificũ esse. Existimarim potius nomen esse Sponsæ. i. Ecclesiæ proprium, non patronymicum, nõ appellatiuum, vel certè cognomen defluxum à Salomone, vt quemadmodum Christus Sponsus dicitur Salomon, tanquam pacificus, ita Ecclesia eius Sponsa Sullamith, aut vt in Marco & apud Iosephum σαλώμη. q. Salomonia, Salome, vel Salomonis vxor, & veluti pacifica. Sic ferè videas fœminas dici de virorum nomine, genere mutato, Paulus & Paula, Ioannes & Ioanna, Iuda & Iudith. Mendosè in aliquibus exempl. Sunamithis, quam lectionẽ quidam secuti alienè exposuerũt Abisag Sunamithidẽ vxorem Dauid. 3. Reg. 1. & 2. quam inde colligunt à Salomone in vxorem tãdem acceptam. *Reuertere*, quater Hebræi in Midras reperitum non solùm ad vehementiam, verùm etiam ob quatuor monarchias, à quibus Ecclesia vexata fuit, Babylonicam, Persicam, Græcam siue Macedonicam, & Romanam. q. d. Illinc te abripe, redi in portum tranquillitatis. ab istorum imperiorum persecutionibus egredere, & in hortum nucum quietum tranquillúmque retrocede.





CAP. SEPTIMI ARG.

Virgines Sponſam à membris extollunt, eiúſque ſucco & fructibus paſci cupiunt.

1 Quid videbitis in Sullamithide, niſi choros caſtrorum?

PVELLÆ SIONIAE.

2 Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia Principis. Iuncturæ feminum tuorum, ſicut monilia, quæ fabricata ſunt manu artificis.

3 Vmbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis. Venter tuus ſicut aceruus tritici, vallatus liliis.

1 *In me Sionis Virgines,*
Quæ Sullamithis nuncupor,
Quid, obſecro, videbitis?
Ni fortè caſtrorum choros,
Qui præcinente claſsico,
Cultu coruſco conciti
Suum ſequuntur principem.

PVELLAE SIONIAE.

2 *Quàm ſunt tui nitentibus*
Greſſus venuſti calceis,
O Regis almi filia:
Tuæ rotundum tam femen
Iunctum cohæret tibiæ,
Quàm bacca palæ gemmea.
Opus, peritus, dixerim
Quod fabricauit artifex.
3 *Es vmbilico prædita,*
Qualis rotundus eſt calix
Mixto redundans nectare.
Vt temperata profluus
Cunctis in orbem porrigat.
Es inde ventre purior,
Quàm ſint acerui tritici
Vbique ſepti liliis.

4 Duo vbera tua, ſicut duo hinnuli gemelli Capreæ.

5 Collum tuum ſicut turris eburnea. Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis. Naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum.

6 Caput tuum vt Carmelus, & comæ capitis tui, ſicut purpura Regis vincta canalibus.

7 Quàm pulchra es, & quàm decôra, chariſſima in deliciis.

4 *Habes dicata liberis*
Ambo fouendis vbera,
Sibi inuicem simillima,
Quales videntur hinnuli
Duo gemelli Capreæ.
5 *Sublime collum poßides*
Candore præstans lacteo,
Vt turris hæc eburnea.
Refers ocellis vitreis
Hesbonis vndæ balneas,
Quas circinatas affabrè
Prospectat hæc subselliis
Dicata porta principum.
Assurgit in rectum tibi
Nasus decenter eminens,
Vt turris illa Libani,
Quæ rus Damasci prospicit.
6 *Corpus caput mox sustinet*
Constans, rotundum, coccinum,
Carmeleum velut iugum.
Tui capillis verticis
Luces, recens vt purpura,
Quam fullo vinxit principi
In ædium canalibus.
7 *O quàm venusta denique,*
O quàm referta gratiis,
Mea ô voluptas, ô amor.

8 Statura tua aſſimilata eſt Palmæ, & vbera tua botris.

9 Dixi, Aſcendam in Palmam, & apprehendam fructus eius, & erunt vbera tua, ſicut botri vineæ: & odor oris tui ſicut odor malorum.

10 Guttur tuum ſicut vinum optimum, dignum Dilecto meo ad potandum, labiiſque & dentibus illius ad ruminandum.

SPONSA.

11 Ego Dilecto meo, & ad me conuerſio eius.

8 *Proceritate promines,*
Vt Palma pubens edito
Assurgit alta palmite.
Sic plena præfers vbera,
Sicut racemi vineæ
Dulci redundant nectare.
9 *Hinc ergo decretum est mihi,*
Palmam per istam scandere
Eiúsque fructus carpere,
Mammas vt istas sim potis
Sicut racemos sugere,
Nec non tui me pascere
Fragrantis oris spiritu,
Qualem nec vlla suauius
Odora poma fundìtant.
10 *Tuis adæquas faucibus*
Vini Falerni poculum,
Quod rectà, amicum, defluens,
Sese bibentem recreat,
Ac dormientum fortiter
Labella fari perdocet.


SPONSA.

11 *Sum tota Sponsi, Virgines,*
Vt ille solam me cupit,
Quem tam potenter diligo.

12 Veni Dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.

13 Mane ſurgamus ad vineas. Videamus ſi floruit vinea, ſi flores fructus parturiunt, ſi floruerunt mala Punica. Ibi dabo tibi vbera mea.

14 Mandragoræ dederunt odorem. In portis noſtris omnia poma: noua & vetera, Dilecte mi ſeruaui tibi.



COMMENTARIA
IN CAP. VII.

Verba Sponſæ reſpondentis Virginibus. In me, quæ vocor Sullamithis, quaſi Salome, vel Salomonia, vel iuxta alios Sòlymana, ſiue Hieroſolymitana, quid ſpectabitis blandi,

12 *Dilecte promptus huc ades,*
Petamus Agros, frondeis
Pagi moremur in casis.
13 *Nos manè colles arduos*
Lætis dicatos vineis
Visemus, & spectabimus
Vitísne germinauerit,
Floréſne fructus truserint,
Flòrêre iam ne cœperint
Mali rubentes Punicæ.
Illic meis amoribus
Tibi licebit perfrui.
14 *Suaues ibi Circæia* Plin.lib.25. cap.13.
Iam reddidêre flosculos,
Iam poma quæuis dulcia,
Iam delicatos quoslibet
Fructus vetustos ac nouos
Ibi repostos colliges.
Nam cuncta dilectißime
Soli tibi recondidi.

blandi, iucundi, delicati, voluptuosi, pulchri. Me fortaſſe vultis ad vos redire vobíſque videndam dare, relicto meo itinere, vt meo conſpectu fruamini, & mecum vitæ deliciis & voluptatibus afficiamini. Atqui nihil in me videbitis, quod vos captantes quietis & tranquillitatis dulcedinem delectet. Nihil in me ſpectabitis, niſi triſte, durũ,

seuerum, graue, terrificum, vt in castrorũ choris, nihil nisi castrensem formam, habitum, vitam, faciem tumultuariam, turbulẽtam, tetricam, mœstam, terrificam. Mea enim vita est iugis militia super terrã.q.d. Nihil in me esse puto, cuius causa me tam sollicitè & anxiè spectare debeatis. Nota Ecclesiæ humilitatem & modestiam, contra Fastus & Typhos hæreticorum. Ipsa quidem est terribilis vt acies castrorum ordinata, vt sup. capite dictum est, at prætereà spectabilis vt Aurora, pulchra vt Luna, electa vt Sol, & tamen hæc dissimulat & reticet, illud confitetur & agnoscit. immò verò in sui contemptum interpretatur, quod tamen dictum fuerat in laudem. Sic docet mẽtem non esse adiiciẽdam ad suas laudes & ornamenta, licet vera, sed ad suas miserias, vitiositates, imperfectiones, peccata. Miseria est in Ecclesia obnoxiam esse perpetuæ militiæ, & conflictari aduersus carnem, mũdum, peccatum, Satanam, versari in perpetuis excubiis, nunquam conquiescere ab insultibus, motibus, turbis, crucibus, aut eorum suspitione. Sic Ruth 1. cap. Ne vocetis me Noëmi (.i. suauem) sed vocate me Mara (.i. amaram) quia amaritudine valde repleuit me omnipotens. Nihil promittit puellis sese ipsi adiungere cupientibus, nisi cruces & conflictus carnis & spiritus, &c. Hoc sequutus est noster Interpres. Nam ad emolliendam obscuram Fontis subiectionem, *Tanquam chorum castrorum*, qua ipsamet sibi respondet, doctè vertit, *nisi choros castrorum*, nisi turbas militares & binas acies velut in choro, ordine procedentes ad committendam pugnam. Nam *Mahhanaim* dualis est numeri. Sic me

videbitis

videbitis mulierē accinctam & paratam ad confligendum omni ex parte cum mundo, carne, Satana, non ad delitias & voluptates compositam, mollibus vestitam, &c. Huc quadrat Christi dictum, Matt.11. de Ioanne Baptista, Quid exiistis videre in desertū. Hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt. Alij in laudem Sponsæ, non in humilitatem interpretantur. Me videbitis grauitate quadam castrensi, vt non sit quod me curiosiùs cōtemplemini, & tanquam chorum *Mahhanaim*, id est, duûm castrorum, qui apparuit Iacobo illic loci, cui id ex euentu nomen fuit, Gen.32. vel, In me videbitis tanquā chorum castrorū i. cœlestes copias, quę me tueātur & defendāt, vt olim Iacobū ab Esau occurrēte cum 400. viris periclitātem Ibid. Nam eo videtur allusum. Non desunt, qui putent respondere puellas. Quid spectabitis in Sullamithide. i. in me, quæ Sullamithis vocitor? Tanquam (inquiunt) chorum castrorum. i. te rectè ordinatam, dispositam, instructam & ornatam. Quod postea declarent enumeratione singulorum membrorum. Pedes tui, &c. Malo, vt ipsamet sibi per Subiectionem respondeat, cum nostro Interprete. Abben Ezra in Recto casu intelligit. *Tanquam chorus castrorum*. O vos quæ adestis velut duæ acies paratæ ad concurrendum.

2 Verba virginum excurrētium in laudes Sponsæ per enumerationē membrorum, propter quæ spectatu & admiratione digna sit, contrario ordine ac Sponsus, cap.4. & 6. Nam progrediūtur à pedibus ad caput & capillos, quoniā Sponsus respicit interiora, Homines exteriora. i. opera,

quòd de interioribus iudicare non possint nisi per posteriora. Non tam rectè aliqui putant esse verba Sponsi. Gressus cum calceis celeritatē vocant, quam Apostoli & Apostolici adhibent in denunciando Euāgelio. Illi enim sunt velut gressus seu pedes Ecclesiæ, ex Esa.52. & Eph.6. Alij, opera & actiones. Femora siue femina referūt ad generationem, qua multos genuerunt Christo. Et certè Elias in Tisbi. scribit ירך *femur, femen*, sumi pro ea parte hominis, in qua procreandi vis inest. *Gressus*, incessus, passus tui. Aliqui metonymicè exponunt Pedes. *Filia principis.* Dei omnipotentis. *Iunctura.* Alij circuitus, ambitus, vertebræ, latebræ. Rectiùs Noster. Vt monilia artificiosissimè iunguntur & conseruntur, ita femur tuum mirificè & affabrè iunctum cohæret suæ tibiæ & pedibus. Conuersi & geniti Christo conueniunt mirabiliter cum Apostolis & Apostolicis. Est maxima coniunctio & consonantia inter Apostolos & prolem spiritualem Apostolorum. Quod opus est opus manuum artificis. Nam hîc peculiariter eluxit Spiritus Sācti industria & ars, citra quam labor gressúsve Apostolicus inanis extitisset. *Quæ fabricata.* In Fonte est appositio epiphonematica, sicut monilia (appositoriè) opus manuum artificis.

3 Vmbilicus Ecclesiæ, est medium eius, nempe terra Sancta, vel etiam Ierusalem. Ea enim est in terræ Sanctæ atque adeò orbis totius medio, ceu centrum & vmbilicus terræ, à qua tāquam à centro Apostoli Euāgelicam prædicationem in vniuersum terrarum orbem diuulgauerūt. Ezech.38. Hæc dicit Dominus Deus. Ista est Ierusalem, in

medio Gẽtium posui eam, & in circuitu eius terras. Ps. 73 Deus autem Rex noster ante sæcula, operatus est salutem in medio terræ. Tob. 13. Nationes de lõginquo ad te venient, & munera deferentes adorabunt in te Dominum. *velut* crater tornatilis siue rotundus nunquam indigẽs mixtis poculis. i. vino diluto & temperato, quia in orbem & circumquaque per omnes mundi partes potionem Euãgelicam ab Apostolis mixtam & temperatam cõtra legis violentiam, duritiam, rigores distribuit. Ex Sion enim exiit Lex, & Verbum Domini de Ierusalem, Esa. 2. & Mich. 4. vt proinde Sion appelletur mater Ecclesiarum à D. Iacobo in liturgia, & gaudiũ vniuersæ terræ, Lament. 2. Vmbilicum omnes linguæ appellant cuiusque rei medium, quoniam ligamentum illud intestinorum mediam ferè vẽtris planitiem obtinet. Hinc Cicero Ennam vmbilicum Siciliæ, Horatius Delphos orbis, Reatinum lacum Italię Plinius, locum quendam Cretę ὀμφαλὸν Callimachus appellant. R. Selomo refert ad doctrinam Concilij siue Synedrij magni, centum habentis iudices, cuius sedes erat Ierosolymis terræ Sanctæ vmbilico siue medio. Hoc modo referamus ad nostra Cõcilia in medio Ecclesiæ celebrata. i. palam, publicè, in omnium cõspectu, intra ipsam, vt ex omnibus partibus cò conueniri possit, tanquam ad centrum. Eorum consessus est veluti crater rotundus, quo in omnes partes æqualiter propinent potum à se temperatum contra violentiam hæreticorum. Quin & fortasse alluditur ad cœtum hominum in orbem collectorum, vel locum in quo colligũtur, qui proinde circus, cir-

culus,& corona Latinè dicitur. Mixtio, siue vinum mixtum & temperatum est verbum Domini,explicatum & præparatum populo, dilutum aqua. i.expositione & interpretatione, vt vera eius sententia contra hæreticos percipi & hauriri possit fructuosè & vtiliter, citra cerebri noxā. Adde vt per vmbilicum suum Embryo alitur,augetur, respirat,quemadmodum cernimus poma, pyra,sorba,mespilla & similes fructus per petiolos succum ex arbore consequentes: vt vmbilicus ventrem ventrísque ardorem temperat & ad illum aërem externum transmittit, vel internum expirat, in eius medio situs velut quædam fenestra:ita Concilia,&c. *Vmbilicus*. Adeo Hebræi sibi metuunt à cogitatione impura, vt eorum doctissimi,inter eos Abben Ezra,legant in ablatiuo per Eclipsim præp. ב *in* (In) vmbilico tuo est crater, *Tornatilis*,rotūditatis lunaris prop.i rotūdissimus instarLunæ Humorū fontis. *Nūquā indigēs poculis*, non deficiēs mixto prop. In quo vinū mixtum nō deest. Talis enim crater eximium colorem ingerit,suum cum vini specie miscens. *Venter*. Venter Ecclesiæ,qui cibos transmissos excipit, facultatibus naturalibus nutriendi, accrescendi & generandi inseruit, earum vasa & organa continet,est Dei populus. Nam is transmissos verbi Diuini cibos à Doctoribus excipit, nutriendæ, augendæ, perpetuandę,propagandæque Ecclesiæ inseruit, eam nutrit,auget,propagat &gignit per sanctam & legitimam filiorum generationem, id est, per Sacramentum Matrimonij. Paruum concilium siue synedrium viginti tribus constans Abben Ezra intelligit. Sic referes ad Concilia & Syno-

dos prouinciales. Eſt ſicut aceruus tritici, quod reconditur in horreum propter vtilitatem, non autem eiicitur vel comburitur vt palea. vallatur liliis.i.bonis & ſuauibus operibus, præſertim pudicitia. In ventre ſunt alimenta & excrementa, in aceruo tritici triticũ & paleæ, ſic in populo boni & mali, electi & reprobi. vt triticum alunt boni Eccleſiam bonis operibus, augent, fructificant, multiplicant, nec ſunt inutiles, vt paleæ Matth.3. & Luc.3. Congregabit triticum in horreum ſuũ, paleas autem comburet igni inextinguibili. *Sicut aceruus*: fortaſſe alluditur ad formam ventris. Nã forma eſt rotunda, oblonga, ſed nõnihil ampliore fundo. Hinc ſe paulatim erigit verſus ſiniſtrũ latus, ſicut aceruus latus eſt infernè, anguſtus ſupernè. *Vallatus*, ſeptus.

4 Duo vbera, duæ leges ſcripta & tradita, vel duo teſtamenta vetus & nouum, quæ velut lac ſubminiſtrant alendis & potandis delicatè fidelibus, ſúntque velut gemelli capreæ, quia ſunt eiuſdem authoritatis, & ab eodem procedunt. R. Selomo Regem & Pontificem, quibus duobus ſtatus fidelium paſcitur, & in vita trãquilla conſeruatur, adumbratos putat.

5 Collum deſignat Chriſtum Abben Ezræ, noſtris melius paſtores & Doctores ſub vno capite Chriſto, per quos cibus ſpiritualis in inferiora tranſmittitur. Turris autẽ fit mentio, quòd Chriſtus vel Doctores robur & præſidium præſtent Eccleſiæ. Eburneam ſtruxiſſe volunt Salomonem inter alia ſuæ magnificentiæ opera R. Selomo & Chaldæus. Sic collum laudatur candidum, oblõgum, rotundum, lene & æquabile, ſine vlla aſpe-

ritate. Oculi Prophetas. Nam vt oculi semper recipiunt Spiritum influentem è cerebro per neruos opticos, ita illi Spiritum propheticum à Deo per Spiritum Sanctum. Comparantur Piscinis Hesbonis vrbis frequentissimis & clarissimis vltra Iordanem Iud. 21. & Num. 22. ad portam filiæ multitudinis, id est, populosam in qua erat præcipuum vrbis forum, vti in portis iudicia & mercatus exercebantur; quia sunt aquei siue aqueæ substantiæ, vt docet Aristo. ex aqua quam effundit oculus, dum eruitur vel cōfoditur, item ex lachrymis quas mittit. Et sanè in oculo tres humores notantur, Albugineus albo ouorum similis, sed fluidus & tenuis, Vitreus, vitro liquato, aliquanto firmior, vt qui non fluat, Cristallinus siue aqueus Cristallo, à vitreo humore nutritus, eique insertus vt gemma annulo, omnium firmissimus, penè vt cera. Sic ad Prophetas vndique confluit populus ad copiosè hauriendam aquā.i. doctrinam, consolationes spirituales, &c. & ad suscipiēda Sacramēta, inter quę Baptismus piscina est omnibus proposita. Aliqui Rabbinorum Hesbon appellatiuè exponunt pro numero sed insipidè. *In porta filiæ multitudinis* prop. iuxta portam Bath rabbim.i. filiæ multorum. Nam fortasse rectiùs denominatio Hebraica retineatur, quamuis sic diceretur, quòd eo multi conuenirent propter vtrumque forum vænale & iudiciale. *Nasus.* Nasus Ecclesiæ ij qui in ea pollent, & donum habent intellectus, sagacitatis, & iudicij ad gentium corda conuertenda, vel ad detegendas hæreticorum & Satanæ fraudes. Hi sunt velut turris & specula Libani versus Damascum spectans, vt eam

vrbem sibi adiungant, id est, versus gentes, vt eas Christo subiiciant & conuertant, vel vt detegãt insidias & adortus hostium, maximè Damascenorum, qui vicini & sempiterni hostes erant populi Israël & æmuli imperij. Dicitur autem saltus Libani 3.Reg.7. spectãs Damascum. Abben Ezra summum Sacerdoté intelligit, qui naribus Domini thymiama adolebat, eúmq; placabat Deut. 33. fortasse etiam quia vt Nasus, ita Pontifex summúsve Sacerdos in facie Ecclesiæ eminet. Kimhi in 23.Ezech. mauult esse symbolum Regis. Nam Rex, inquit, populo supereminet & eleuatus est sicut nasus in facie. Aures autem Synagogæ potius sacerdotes repræsentant, quia sacerdos audire facit vocem suam auribus Domini, dum ingreditur sanctum cum tintinabulis. Atque ita dum Deus vult punire Ecclesiam, Nasum tuum (inquit Ezechiel) & aures tuas auferent. i. te priuabunt vtroque magistratu politico & sacro. *Contra Damascum*, cõtemplans faciem Damasci prop.

6 Pellucet & caput & coma Ecclesiæ. Caput Ecclesiæ Christus qui est tanquam Carmelus, mons Phœnices altissimus, pulcherrimus, feracissimus, arborum fructiferarum & agrorum plenus. Recentiores Carmelum sumunt pro colore puniceo, non monte, vt 2.Par.3. Sed non video quî caput puniceum possit laudari, nisi ad vittam puniceam pertineat. Coma, frequentia & multitudo populi, quæ est sicut purpura Regis alligata canalibus. i. pretiosissima & recentissima, Deus amat, in pretio habet populi fidelis multitudinem, eam ducit pro purpura regni pretiosis-

ſima, pulcherrima & recentiſſima, quam tinctores adhuc ſiccant Regibus in ſummis ædium canalibus, vel tingunt in ſuæ officinæ tubis. Alluditur etiam ad comam vittis purpureis vinctam & alligatam, ne immodeſtè & parum pudicè diffluat. Præterea mentio Regis pertinet ad Chriſtum, vt è maiorum traditionibus memorat Abben Ezra vinctum & ligatum pro peccatis noſtris. *ſicut purpura*. Extrema hæc verba huius verſiculi ab Hebræis & Græcis, aliter quàm à Noſtris intelliguntur. Illi enim diſtingunt poſt ארגמן *Argaman, purpura*, & quæ ſequuntur legũt, vt Græci *βασιλεὺς δεδεμένος ἐν παραδρομαῖς*. Rex ligatus in ambulachris ſiue curriculis, aut vt Hebræi ſentiunt, in canalibus vel trabibus, hoc ſenſu. Rex nempe Dominus, ſiue, iuxta etiam veteres Hebræos, citante Abben Ezra, Meſſias tanto tui amore capitur ob caput tuum puniceum & comam tuam purpuream, vt ſit alligatus vinctúſque domus tuæ canalibus & ambulachris. Et ſanè propter nos, propter noſtram ſalutem, noſtríque dilectionem apud nos & in Synagogæ ædibus vinctus fuit ac dira paſſus. Egregius ſenſus, quem Beza & impuri homines ſic corrumpunt. Rex tanto amore tui capitur, vt cupiat alligatus eſſe canalibus domus tuæ & impluuiis ad tui corporis ſpeciem aſſiduè contemplandam. Nam vel illinc lubens formam tuam ſpectaret. Vel, vt cupiat vinciri & ligari funibus tuæ comæ, &c. Hoc enim eſt alludere ad obſcœnos poetas Iouem per impluuium gremium Danaes ſubeuntem fingétes, aut ad adulterium Da-

uidis, è solario domus regiæ Bethsabeam nudam impudicè conspicientis, 2. Reg. 23. aut ad principes Cedar, inquit Abben Ezra, turpibus amoribus indulgentes. Noster interpres simplicius iunxit cum præcedentibus legitque כַּאַרְגָּמָן *keargheman* in regimine per pathah absque distinctione vlla, in hanc sententiam. Coma tua seu reticulum tuum è coma confectum, est veluti purpura Regis. i. pretiosissima, quam Reges solent comparare, alligata canalibus purpurariorum & tinctorum, vt tingatur vel siccetur. Nam, vt tum recentior est, ita & coloratior, pellucidior, iucundior, atque aspectu pulchrior. Deinde vt retineatur camets, formàque absoluta, facilè subauditur נסמך .i. Syntacticum, vt infra cap. 8. v. 2. de vino pigmenti יין הרקח *Iain harèkah*, pro *Iénhare kah*. *Canalibus*, impluuiis ædium, per quæ è tecto deorsum pluuiæ decidunt. i. super tecta, vt purpura citius desiccetur. Vel canales intelligit tinctorum, in quibus pannos macerant, ad eos coloribus imbuendos. *Rehatim* in genere canales, Gen. 30. Recentiores trabes siue laquearia, cap. 1. supra. Verùm quia illic per ח scribitur, hic per ה, non est illis assentiendum, etiam si Masorethæ, vt sæpe temerarij sunt, correxerit, & heth in he illic mutauerint contra exemplarium fidem.

7 Quidam hîc putant loqui Sponsum vsque ad versum vndecimum, vt Anonymus. Rectiùs Virgines Sioniæ cœptum sermonem continuāt. *Quàm decora*, ad verb. quàm dulcis, ô amor in deliciis. i. ô amor deliciosissime & suauissime! ô amica deliciosissima & dulcissima, propter sua-

uitatem morum, gratiarum, &c.
8 Es ſtatura palmea & erecta propter teſtimonium conſcientiæ. Nihil admiſiſti in Sponſum, cuius cauſa te oporteat vultu eſſe deiecto & demiſſo. Item reſpicis in cœlum; ad Deum ſuſpiras, recta es & in rectum te attollis, vt Palma, quę etiam cùm ponderibus premitur, ſe erigit. Vide Gellium. Es patientiſſima in aduerſis rebus. Nam palma, & rectitudo ſiue ſtatura palmæ eſt patientiæ ſymbolum. *Botris* vineæ è ſequenti verſu, quæ quidem ſimul cũ Palma creſcit & erigitur, ei veluti maritata & cõnexa. Alienè de Botris Palmæ.
9 Hîc etiam loquuntur puellæ Sioniæ, ſed ſingulæ de ſe ſingulariter, & perſiſtunt in comparatione palmæ & botrorum. Cupij tibi adhærere & cooptari in tuum album. Vtinam in te aſcendam vt in palmam, vtinam apprehendam ramos tuos ad carpendos fructus, quibus abundas: vtinam vbera tua exſugam, tanquam vitis racemos, qui famem ſimul & ſitim depellunt. Vtinam fruar & paſcar ſuaui odore oris ſiue naris tuæ, vt me firmem & recreem. q. d. me ale & pota tuis vberibus, id eſt, lege vtraque, ſcripta & non ſcripta iuxta Hebręos, vtroque teſtamẽto ab Eccleſia ſubminiſtrato ſecundum ſuam intelligentiam, iuxta noſtros. Prætereà me exhilara & recrea tuis naribus, id eſt, tuo ſpiritu. quòd ſi ſint verba Domini, Dominus ſignificabit ſe præſto affuturum Eccleſiæ ac eam ornaturum. *Et erunt*, Optatiuè prop. Et ſint obſecro vbera tua ſicut botri vineæ. *Oris*, naris propriè. *Sicut malorum* odor per zeugma.

10 In Fonte est hypotyposis vini optimi, quod rectà sursum flammulas præstantiæ suæ indices spargit. Guttur siue palatum Ecclesiæ comparatur vino bono, quod it ad rectitudines, hoc est, quod rectà vultũ ferit & generosè, suámque præstantiam & vim in cyatho ostentat, vt intelligitur è Prouerb. cap. 23. Porrò ne putes repente mutatã esse personam; obserua virgines Sionias adductas superiore Sponsi commendatione & descriptione Spõsam hîc habere dilecti sui loco. *Guttur*. palatum propriè. Recurre ad 16. v. cap. 5. Palatum tuum sit obsecro (nam hoc optatum est repetendum è superiori versu per zeugma) sicut vinum optimũ, quod se Dilecto meo generosum ostentat, & rectà ad eum vergit. Alij Indicatiuè. Palatum tuum (est). vt puellæ reuertantur ad describenda Sponsæ membra. Ecclesiæ particulares etiam Christum dilectum suum appellant, nedum Catholica, quia eum etiam diligunt, & ab eo diliguntur, vt propter eas quoque ipse mortuus sit. Palatum autem Sponsæ est eius doctrina vel Cantica, Hymni, Psalmi, Preces, vt certè exponit Abben Ezra, q. d. Tua doctrina recta est, laudabilis, generòsa, digna Deo, vel tua Cantica ei sunt gratissima, & instar optimi vini efficacissima & dulcissima, nobis magnopere conferunt, & recta eunt ad dilectum Christum, illum monent & excitãt ad commiserationem, & prosunt dormientibus. i. mortuis. Nam pro, *Dignum Dilecto meo ad potandum labiisque & dentibus illius ad ruminandum*. Fons habet per hypotyposim vini præstantis, *Iens ad Dilectum meum ad rectitudines*. i.

recta. *loqui faciens labia dormientium*. Vinum generosum in rectum iacit flammulas & rectà oculos inſpicientis ferit, dormientium item labia fari facit, dum ſenſus ſopitos excitat, parit ſomnia, & commouet ad fandum, quæ vigilantes ſolent cogitare & loqui. Iuxta myſterium, palatum Eccleſiæ vino congruenter rectà ad dilectum Dominum tranſmittit ſua Cantica, & patres in ſepulchro dormientes recreat, eóſque adducit in ſpem quietis breui futuræ. Ita & R. Selomo. vbi obſerua Hebræos etiam orare pro defunctis. *Dentibúſque*: Noſter & Sept. legerunt per Vau ושנים *veſhinnaim*, & dentibus. non per Iod, ישנים *ieshenim*, *dormientium*. Siphte autem putarunt eſſe ſyntacticum pro abſoluto, vt ſæpe aliàs.
11 Tota ſum illius, vt alteri me copulare non poſſim aut debeam eo inconſulto. Nam & ipſe totus mei tenetur deſiderio. q. d. non eſt meũ vobis concedere, quod optatis, quia ſum tota in eius poteſtate. quicquid ille volet, quicquid ſtatuet, efficiam, ſum enim illius tota, ab eo hoc petite, hoc ille concedat, ſi vos in noſtrum contubernium admittit, mei poteſtatem & opes non ſum denegatura. Id reſpondet Sponſa virginibus Ieroſolymitanis ſui participationé expetentibus, quaſi eas à ſua familia & cõmunione repellat. Significat videlicet neminé ad ſe venire, niſi Chriſtus traxerit. Gratia Dei ſumus quicquid ſumus. Fruſtra foris Eccleſia prędicat, niſi interius Chriſtus per ſuum ſpiritum operetur. Deinde neminé poteſt in ſui communionem recipere, niſi ſecundum leges & præſcripta Domini. Hanc repulſam

R. Selomo in finistrum interpretatur. Nam per puellas non Ecclesias particulares vel personas singulares intelligit, sed exteras prophanasque nationes, quas à se Sponsa hoc dicto auersetur. Alij non putant Sponsam respódere ad optatum puellarum, sed ad laudationes. q. d. qualis qualis ego sum, sum dilecti mei, quicquid ipsa sum & quantacunque. Hæc laudum ornamenta, quæ mihi tribuitis, fero Sponso accepta, hæc ab illo habeo, vt dicebat Paulus, Gratia Dei sum, id quod sum. *Et sicut.* Nam *vau* hîc est *hasuaha*, id est, adęquationis. vt passim in Prouerbiis. Sum tota illius, sicuti ille me totam desiderat & cupit, sicut ad me solam conuertitur, nec ad aliam deflectit. *Dilecto*, dilecti. Sic loquuntur in possessionibus, pro genitiuo Latinorum, vt supra alicubi annotatum. *Conuersio* vel desiderium.

12 Iam missis puellis se ad Sponsum conuertit, vt eas se eodem pacto gerere doceat. *Veni*, particula hîc hortandi, age, agedum. *Commoremur in villis.* prop. pernoctemus in pagis, illic noctē transigamus, vt mane petere possimus vineas.

13 Vineas vocat Ecclesias Domini singulares Esa. 5. Videamus an Ecclesiæ distinctæ locis bona opera proferant, vel ex Rabbinis, an pœnitentiā agant, & signa resipiscētiæ nouæque vitæ edant. Ibi cōmunicabo tecum amores meos. In Ecclesia enim amoribus mentium potitur. Extra Ecclesiam verò odium Christi est, sed nec ibi reperitur Christus. *Si*, an. Nam hîc in singulis membris interrogat. *Si flores fructus parturiunt* vitis. Ad verb. an aperta sit gemma vuæ. i. an cecide-

rit flos vitis,& vuæ gemmam extruserit, forasque emiserit. *Mala Punica* rectiùs de arbore, An floré fuderint mali Punicæ. *Vbera*, metonymicè amores. Vnde Masorethæ legunt *Dodai* non *Daddai*.
14 Odorem mandragoræ,cuius radices humanam speciem gerunt, dum formam habent capitis, manuũ, & sexus partim masculei partim fœminei,refer ad bona piorũ vtriusque sexus opera. Sic & delicatos omnes fructus nouos ac veteres in portis hortorũ reseruatos & recõditos.Omnia illa, inquit, ô Sponse tibi reseruaui, apud te mea opera deposui, certa ꝙ fidelis sis & iustus iudex, non solùm mihi,sed & omnibus qui diligũt aduentũ tuum.2.Tim.vlt. Inter signa veris mãdragoræ meminit, quoniam tum in locis illis calidioribus odor eius est suauis,& aspectus pulcher. Alij addunt quod valeat ad conceptum,è cap.30. Genes. quia somnifera, alioqui temperamento frigido: item ad philtra siue pocula amatoria,vt proinde Circeium etiam appelletur à Circe veneficiorum peritissima. De ea plurima traduntur apud Cœlium lib.9.cap.49.& Plin.lib.25.cap.13. *In portis nostris*,id est,in promptu. *Poma*,Megadim deliciæ,deliciosa,delicata,fructus deliciosi. Nam propriè est nominatiui casus per Eclipsim verbi subst.*Sunt*, & relatiui,*quæ*. In portis nostris omnes fructuum deliciæ nouæ atque veteres (sunt, quas omnes) Dilecte mi tibi (soli) recondidi. Noster videtur accepisse in accusatiuo, eodem sanè sensu,quòd nullam Eclipsim faciat. In portis nostris omnes fructuum delicias, siue omnia poma deliciosa noua atque vetera seruaui tibi.

Omnes meos fructus tibi dedicaui, & in vsum voluptatémque conseruaui. Hebræi referunt ad veteres & nouos fideles & sanctos; vtrunque populum veterem & nouum. Nouos sanctos cum Patribus veteribus per fidem & religionem tibi coniunxi, vtrunque populū & veterē & nouum tibi consecraui. Nostri ad opera noua & vetera. *Dilecte mi.* In Fonte, Amor mi, per Auxesim. quod Kimhi intelligit in accusatiuo, Amorem meum tibi recōdidi & seruaui. Sed rectiùs in vocatiuo. *Seruaui*, recondidi propriè, occultè reposui, ne quisquam surriperet.





CAP. OCTAVI ARG.

Corporationem Sponſi, dilectionem perpetuam, & conſuetudinem optat & deprecatur.

SPONSA.

1 Quis mihi det te fratrem meum, ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deoſculer te, & iam me nemo deſpiciat.

2 Apprehendam te & ducam in domum matris meæ. Ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condîto, & muſtum malorum granatorum meorum.

3 Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

SPON-

SPONSA.

1 *O quis petenti præbeat,*
Vt frater effectus mihi,
Sugas labellis dulcia
Meæ parentis vbera.
Te conuenirem publicè,
Deoscularer te foris,
Vt assolet fratrem soror,
Me iam nec vllus sperneret.

2 *Te læta dextrâ prenderem,*
Te matris intra splendidum
Conclaue plaudens ducerem,
Hîc me erudires suauiter.
O quàm beata vocibus
Tui loquentis redderer.
Tibi vicißim traderem
Condîta vini pocula,
Et musta pressa torculo,
Malis bibenda è Punicis.

3 *Hinc ille porrectâ meum*
Caput sinistra tolleret.
Fulciret illinc dextera

4 Adiuro vos filiæ Hierusalem ne suscitetis, neque euigilare faciatis Dilectum, donec ipse velit.

PVELLÆ.

5 Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super Dilectum suum?

SPONSA.

6 Sub arbore Malo suscitaui te. Ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.

7 Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculũ super brachium tuum. Quia fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio, lampades eius lampades ignis atque flammarum.

4 *Obtestor at vos interim,*
O Sollymorum filiæ,
Ne somnum amantis rumpite,
Ne suscitetis intimum,
Se sponte donec surrigat:

PVELLAE.

5 *Hæc, oro, quænam est, inuia*
Egressa solitudine,
Quæ delicatis affluit,
Suóque amante nititur?

SPONSA.

6 *Pomi sub altæ tegmine*
Istos amores ad meos
Te suscitaui cœlitus.
Corrupta quando te parens
Illic in auras edidit.
7 *Ergo tuo me pectori*
Velut sigillum figito.
Ergo tuis me brachiis
Velut monile pendito.
Nam mortis vllo robore
Non vis amoris est minor,
Orci nec vllis ignibus
Concedit æmulatio,
Meíque zelus pectoris,
Cuius calentes flammulæ
Ardore vincunt editas
Latásque moles ignium.

8 Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem ſubſtãtiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil, deſpicient eam.

SPONSVS.

9 Soror noſtra parua, & vbera non habet. Quid faciemus Sorori noſtræ in die, quando alloquenda eſt?

10 Si murus eſt, ædificemus ſuper eũ propugnacula argẽtea. Si oſtium eſt, compingamus illud tabulis Cedrinis.

SPONSA.

11 Ego murus & vbera mea ſicut turris. Ex quo facta ſum coram eo, quaſi pacem reperiens.

8 *Quem nulla lymphæ copia*
Vnquam queat restinguere.
Nec vasta terris flumina
Poßint in altum mergere.
Hunc comparare qui volet,
Tantas opes haud soluerit,
Nec tot domi possederit.
Quin despicandum se dabit.
O quanta amoris caritas;

SPONSVS.

9 *Sororem habemus paruulam*
Adhuc carentem mammulis.
Ecquid geremus, obsecro,
Tunc, quando factitabitur
De collocanda Virgine
Nuptúmque danda mentio?
10 *Decenter hanc dotabimus,*
Argenteis ornabimus,
Si murus est, palatiis.
Sin porta, firmè Cedreo
Communiemus assere.

SPONSA.

11 *Murus, quod ad me pertinet,*
Sum, quin recondo grandia
Ad turris instar vbera.
Hunc inde, nacta gratiam,
Mihi fauentem repperi.

12 Vinea fuit Pacifico, in ea quæ habet populos. Tradidit eam custodibus: vir affert pro fructu suo mille argenteos.

13 Vinea mea coram me est. Mille tibi, Pacifice, & ducenti his, qui custodiunt fructus eius.

SPONSVS.

14 Quæ habitas in hortis, amici auscultāt. Fac me audire vocem tuam.

SPONSA.

15 Fuge Dilecte mi, & assimilare Capreæ, hinnulóque Ceruorum, super montes aromatum.

12 *Vitem sibi Rex Sollomon*
Frequentioribus sitam
Possedit orbis partibus.
Illam colonis tradidit,
Vt mille nummos singuli
Fructus ob eius annuos
Fisco quotannis pensitent.
13 *Meam sed ipsa vineam*
Manu meamet excolam,
Vuásque per me colligam:
Tot mille Rex argenteos
Quamuis receptes Sollomon,
Quamuis ducenos alteros
Lucretur ipse vinitor.

SPONSVS.

14 *Quum tu, virentes incolens*
Hortos, canoris recrees
Tuis amicos vocibus,
Eia fac illas mutuo
Tam concupitas audiam.

SPONSA.

15 *Celer, citúsque peruola,*
Dilecte vitâ charior,
Velocitate Capreæ,
Pernicitate Ceruuli,
Ad Thuris altos vertices.
Hic namque nostras purius
Voces petitas audies.

COMMENTARIA

IN CAP. VIII.

FOrmula optãdi Hebraïca, Vtinam esses mihi tanquam frater sugens vbera matris meæ, vtinam tãquam frater sugeres vbera, quem possem vbique & quouis tempore deosculari. Quãuis enim te in propatulo deoscularer, etiam si id fieret præter consuetudinem & decorum, non me tamen puderet. Nam cur pudeat fratrem tam insignẽ & charum palam osculari? Votum est populi veteris optantis aduentum Christi in carnem. Hinc Chald. Paraphrastes ad tempus Messiæ cõfert. Possit etiam referri ad totam Ecclesiam, quouis tempore exoptãtem summam cum Christo coniunctionem. *Matris meæ,* Synagogæ, vel gentis humanæ. *Et iam,* ad Verb. Etiam non despiciant me. Quibus consentiunt nonnulli manuscripti codices, Etiam me nemo despiciat, non *Et iam,* duobus vocabulis ex vno factis. Si iungatur cum initio versus per zeugma sensus erit: Quis det etiam vt nemo me despiciat propter miserias, in quibus hodie versor propter absentiam Sponsi. Sed rectius proximo verbo cohæret. Te inuentum foris oscularer, & nemo tamen me propterea despiceret. Quia non est indecorum fratrem palam osculari. Hoc facerem citra dedecus & cuiusquam contemptum.

2 Ducerem te ad meos, & eos hortarer ad te dignè excipiendum. Ac ibi me doceres per tete, nõ

vt olim per Prophetas. Et ego viciſſim propinarē tibi vinum aromaticum & muſtum è malis Punicis expreſſum, id eſt, Libamen, vt Hebræi intelligunt, typum ſanctæ Euchariſtiæ. Te illic colerem ſacrificiis & libaminibus Chriſtianis, tibi puras preces & ſuaues offerrem, te mihi conciliarem ſacris inuocationibus, honoribus, cultibus, operibus. Vinum autem condîtum, ſiue pigmentatum, & aromaticum, quod Latinis myrrhina, Græcis *ἀνθοσμίας*, odore condîtum erat, cōficiebatúrque vnguentis & odoramētis, lege Plinium Nat. hiſt. libr. 14. cap. 17. *Apprehendam.* ad Verbum, ducam te, (ſiue ducerem) & introducam in domum matris meæ. i. Synagogæ vel gentis, vt tota gens credat, te recipiat, &c. Hebræi per matrē, ædem Sanctuarij intelligunt. Prius de deductione per viā, poſterius de intromiſſione in domum. *Docebis me.* Sic & R. Selomo & Chaldæus in ſecunda perſona. Ibi me doceres quibus artibus, ſis conciliandus, quæ tibi placeāt & grata ſint, quæ me oporteat præſtare, vt ſalua ſim & perueniam in regnū tuum cæleſte. Aliqui per relatiui defectionem in tertia perſona. Nam *Telammed* poteſt eſſe ſecunda & tertia. Ducerem te in domū matris meæ (quæ) doceret me. q. d. Mater mea Synagoga doceret me, qua ratione eſſes à me excipiendus, quámque lautè tractandus. *Et dabo.* Ad Verb. & propinabo (& propinarem) tibi de vino pigmenti, de muſto mali granati mei. *Condîto*, pigmentato, aromatico, odorato, arte pigmentaria confecto.

3 *Laua eius* erit ſup. Interim, quamuis meū optatum plenè nōdum perficietur, me ille fulciet ſiniſtra ſua manu, me ille complectetur ſua dextera.

Sibi pollicetur in his votis certã Domini opem, vel etiam promiſſi ipſius præſtationem. Quicquid accidat, hoc omnino præſtabit ſuo tempore. Illius quidem corporationem, aduentum in carnem, præſentiam familiarem expeto, ſed tamẽ non deſinet me aliis modis fulcire & mecum eſſe. Ita hunc verſum Enuntiatiuè accipimus, quia ſuprà cap.2. vbi occurrit cum iiſdem accentibus & dictionibus, ſic omnino accipiendus erat. Alij optatiuè vel ſubiunctiuè ſubaudiendo *eſſet*. Læua eius ſupponeretur capiti meo, & dextera eius complecteretur me.

4 Iam tertiò adiurantur omnes, ne interturbent coniunctionem Chriſti cum Eccleſia. Noſter Interpres exiſtimauit hîc & c.3.v.5.vt cap.2. v.7. per Amorem intelligi Dilectam ſiue Sponſam, ac adiurari Eccleſias particulares vel membra ſingularia, ne rumpant Eccleſiæ Catholicæ & vniuerſalis quietem ſchiſmatibus, hæreſibus, peccatis, perſecutionibus. Atqui hæc Eccleſia ait de Sponſo, vti capite illo tertio v.5. ac ad iurat membra ſua, ne Sponſum apud ſe quieſcentem excitent & perturbent, ne aliò migrare cogatur, ad ſomnum quietè capiendum. *Dilectam*, Amorem prop. id eſt, Dilectũ, vel, vt Noſter, Dilectã.

5 Priore parte verſiculi Virgines Sioniæ, id eſt, Gentes, vel potius Eccleſiæ particulares mirantur ſpeciem Eccleſiæ aſcendentis è deſerto ignorantiæ, erroris, peccati, &c. ad Chriſtum, eóque iam cõnixæ: vel, vt Rabbi Selomo, è deſerto Arabico in terram promiſſionis Sanctam. Poſteriore Sponſa verba ſua recipit & cõtinuat. Nam prior pars eſt veluti interiecta per parentheſim. *Deliciis.*

מתרפקת *Mithrappeketh* deliciantē significat, itémq; adhærescentem & sociatam: vt vtrumque significatum Noster exprimeret, doctè vertit, Deliciis affluens innixa super Dilecto suo. *Sub arbore malo,* sub pomo, sub qua consederamus, ô Sponse, excitaui te, quasi è dulci beatæ vitæ somno ad mei commiserationem, & ad suscipiēdas vitæ huius humanæ molestias propter mei amorē. Ibi enixa est te mater tua Heua. s. vel humana Natura, non re, sed fide & spe, quibus complexa est tuam futuram natiuitatem. Nam postquam ibi promissum accepit de te enitendo & pariendo ad conterendum, caput serpentis nostræ perniciei auctoris, ibi te parturiit: ibi statim te parere expetiuit, postquam peccasset, & ab innocētia, iustitia, gratia originaria excidisset, ad suæ culpę medicinam. Fides & spes futura habēt pro præsentibus, iuxta illud Apostoli, Spe salui facti sumus. Spes non confundit. Ita loquitur, quia pomus consecrata est confabulationibus & concursibus bucolicis & pastoritiis, dum ad eam solent conuenire pastores: sic apud Ouidium Metamorph. 4. Pyramus & Thysbe inter se pasciscuntur, vt matutino tempore ad monumentum Regis Nini sub arbore Moro cōueniant. Sic apud Maronem Tytirus patulæ recubat sub tegmine fagi, syluestrem tenui musam meditatur auena. Interim agnoscit culpam, qua Christum è somno excitauit sub pomo, in paradiso voluptatis. Excitaui te, inquit, è dulci somno & quiete diuinitatis tuæ, vt has mortales humanæque vitæ subires miserias. Ibi suscitaui te ad mei commiseratione, ibi ostendisti mihi amoris & dilectionis signum clarissimū. Nam statim

mihi es pollicitus semẽ mulieris, &c. Statim enim Heua mater viuentium omniũ (inde enim nomen accepit) promissionem cõsecuta est de futuro semine, Christo Domino, eiúsque futurã natiuitatem ad culpæ expiationem certa fide est complexa, sicque Christum fide concepit & peperit. Alij arborem crucis intelligunt, sub qua precibus & lachrymis multis pij Christum excitarunt dormientem & mortuum ad resurrectionem, vt per eam sibi passionis fructũ largiretur. Nam resurrectio Christi propter nostram iustificationem & propter applicationem meriti Christi in cruce peracti contigit. Prior explicatio loco aptiùs congruit. *Malo.* Tappúah pomum in genere, sed per Antonomasiam ad malum restringitur. Interim quia nascitur sub qua arbore peccauit Heua, quòd Gen. 3. celebretur duntaxat mentio ligni, existẽtis in medio Paradisi, & fructus illius pulchri oculis aspectúq; delectabilis, ideo hîc rectiùs retineatur nomen generis. i. Pomi. Nam Pomus generale est nomen omnium arborum edulium. Hinc Ouidius lib. de Nuce, nuces pomorum genere complectitur. Sic & Plinius lib. 15. c. 22. vt Mora. c. 24. *Suscitaui.* Euigilare te feci, prop. è somno excitaui te. *Corrupta est, violata est.* Vtrobique est idem verbum in Fonte חִבְּלָה *hhibela*, enixa est te, peperit cũ nisu & conatu, dolores de te sensit, parturiit, allusione ad Heuæ miseriã, In dolore paries filios, Gen. 3. q. d. ibi te reipsa parturiit Heua. i. parere expetiuit, vel etiam peperit, non reipsa & actu, sed spe & fide, vt suprà. Noster Interpres respexit non ad partum prolis, sed peccati. q. d. Sub malo suscitaui te ad me saluandam,

vbi mater tua atque adeò cunctorum hominum, corrupta violatáque est peccato grauissimo. Præterea legit passiuè *Hhubbela* in Pual, non in Piel *Hhibbela* posteriore saltē loco. *Genitrix tua.* Iuxta Masoretica puncta in Fonte est eclipsis relatiui (*Quæ*) genuit te. Expeditius legissent cū Nostro *Ioladtecha* in Benoni, quā Ieladatcha in pręterito.
6 Effice, vt tibi in corde & brachio tuo sim, nempe in promptu & in memoria perpetua, sigilli loco. Sic in fine Aggei, Accipiam te ô Zorobabel, & ponam te tanquam signaculum siue annulum signatorium. i. te habebo charissimum, coniunctissimum, mihi eris semper in procinctu & conspectu. Nam amor, quo ardeo, est validior morte cuncta vincente, zelus siue æmulatio, id est, studium tui vindicādi, aut, vt aliis placet in malum, inuidia aduersariorum qui me persequuntur, durissima est, tanquam infernus omnia consumens, aut sepulchrum cuncta cadauera deuorans. Malim אהבה *amorem*, & קנאה *zelum* idem valere, ac significare singularem affectum, quem vocamus zelotypiam in cōiugibus. *Signaculum, Hotam*, annulus signatorius, qui solet esse in manibus. q.d. Mei semper sis memor, me tibi semper fac adhærescere. *Super brachiū.* Alludit fortasse ad brachia Christi in cruce extensa. Nam in his quodammodo nos suo sanguine descripsit. Esa. 49. Si mater oblita fuerit filij vteri sui, ego tamen non obliuiscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te. *Fortis*, valida, vehemens, vt mors omnia superans & degluttiens. *Dura*, violenta, ardens. *Aemulatio*, zelus, zelotypia, amor ardens. Alij pro studio vindicandi, alij pro inuidia hostium, non tam rectè. *Vt*

infernus, vt ignis inferni violētissimus. rectè. Nam *Seol* propriè significat infernum, siue illam terræ partem, in quam animæ propter peccata descendunt, vt illic pœnas anteactæ vitæ luant, nec nisi metaphoricè sepulchrum, vt docui lib. 3. de Trinitate, pag. 279. 280. 281. Kimhi quidē in Psal. 31. v. 18. impij dedūcantur in *Seol*, exponit duobus modis, קבר *kéver*, sepulchrum, & גיהנם gehēnam, sed posterior acceptio est propria, prior metaphorica. Hinc 70. perpetuo interpretantur *ᾅδην*, & Hebræi veteres vnum ex profundioribus & vltimis inferni, in quo impij crucientur, tabulatis. Vide interpretem Maiemonim parte prima pag. 34. col. 1. & librum Iesod Sirim, māsione prima. Cætera illic contra profanos nouatores. *Lampades*, carbones ardentes & accensi, propriè, prunæ. Incēdia amoris sunt incendia ignis prægrandis & vehementer inflammati. Amor ardet sicut carbo ignitus, & flamma prægrādis interioráque inflammat & accendit vehementissimè. *Ignis atque flammarum*. In Fonte sunt tres Genitiui sine coniunctione. Ignis flammæ Domini. i. ignis inflammatissimi. Nam vocabulum Domini additur ad epitasim & exaggerationem, vt Psal. 36. Ignis flammæ, quam Deus ipse succēdit suo valido flatu. Ignis diuinitus, non humana arte aut viribus, accensi ac inflammati.

7 Per Auxesim hæc addit, quia amorē igni comparatat. Imò verò plusquam ignis est amor. Nam non potest ab aquis vllis consumi, vt ignis. Hunc locum egregiè illustrat Apostolus Rom. 8. Quis nos separabit à charitate Christi: tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an

persecutio, an gladius, sicut scriptũ est, quia propter te interficimur tota die, æstimamur sicut oues occisionis. Sed in omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neq; principatus, neq; virtutes, neq; instantia, neq; futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu, Domino nostro. Ita vaticinatur de Martyrum inuicta constantia & animo. Nam Aquæ & Flumina symbola persecutionum & ingentium calamitatum, vel populorum Apocal. 17. Ac ideo Rabbini exteras nationes populo Domini infestas exponunt. *Si dederit.* Si quis dederit omnes opes suas hæreditarias, siue labore & industria partas pro hoc amore. i. vt hunc amorem à me obtineat, mihíque eripiat, is contemnetur. Hoc enim perperam & incassum tentauerit. Hoc ait, vt doceat Deũ huiusce amoris auctorẽ esse, non externam aliquam causam. *Substãtiam*, opes. *Quasi nihil despicient eam* substantiam videlicet. q. d. dilectionis huius possessores contemnent illam totam substantiam, & opes, atque si nihil daret, totam illam substãtiam pij non putabunt esse alicuius pretij comparatione diuini amoris, pro vllis bonis non deserẽt illum Domini amorem. Quin nec diuinus amor argento emitur, sed datur gratis. Venite, qui non habetis argentum, properate, emite absque argẽto, & absque vlla commutatione vinum & lac, apud Esaiam c. 55. Hebr. despiciendo despicient eum. Itaque qui Pron. *eam* referunt ad dilectionẽ, non ad substantiam, hallucinãtur; Nam dilectio

i. אהבה *ahabá*, eſt feminini generis, הון *hon* autem, quam vocẽ Noſter per vocabulum *ſubſtantiæ* reddidit, maſculini, vt pronomẽ affixum לו *ló*. Vnde & illud pronomen poteſt referri ad hominem, cuius meminerat. Si dederit homo cunctas ſuas opes, vt hãc dilectionem ſibi comparet ac emat, poſſeſſores contemnent illum, & procul à ſe cum faſtidio reiicient. Ille contemnendo proculdubio cõtẽnetur, perinde ac ſi nihil obtuliſſet. Tantus eſt illius valor, tanta æſtimatio & pretium. Mendoſè in pleriſque exempl. *deſpiciet*, pro plurali *deſpicient*.

8 Hebræi ferè putant eſſe verba Sponſæ ſiue Synagogæ ad puellas vel etiam Sponſum, & per Sororem paruam intelligunt Synagogam ineuntem, cuius initia tenuia fuère admodum, vt docetur Ezech. 16. quæ & vberibus carebat, quia non abundabat Sapientibus, qui alios docerent, vel Gentẽ vltra flumina Æthiopiæ ad Dominum adducẽdam ex Sopho. 3. cap. à reliquis Iudæis multis locorum ſpatiis diremptam. Noſtri, vt ex Hebræis Anonymus, quia putant eſſe verba Sponſi (quod omnium eſt veriſſimum & accommodatiſſimum) ſuos Angelos & Sanctos, vt ſup. cap. 5. verſ. 1. vel etiam Sponſam & puellas alloquentis, per hanc Sororculam accipiunt gentes, quibus nulla eſt mamma, id eſt, teſtamentum, quo ſpiritualiter educaretur, atque ita conſultare Dominum, quid huic facturus ſit. Si Hebræos ſequimur, quæ hîc dicuntur accommodabimus etiam ad noſtram Eccleſiam ineuntem, cuius & tenuia fuère principia, item ad gentes vltimas & remotiſſimas vltra flumina Æthiopũ ſitas. Hinc quotidie

tidie cernimus incognitas olim terras ad Christum conuerti. Habemus sororem paruam, id est, Ecclesiam Gentium, quæ caret adhuc mammis, nullam habet legem neque scriptam, neque traditam, nullum testamentum. Quid ei faciemus quando erit despōsanda & elocanda Christo per Apostolos, quando sermo fiet de ea elocanda & tradenda nuptui. Sibi post respondet, vel alij ei respondent. Nos accommodabimus ipsius infirmitati, vt Act.15. Eam ornabimus rebus necessariis, &c. *In die quando alloquenda est*, passiuè, vt in Hebræo, In die quo sermo fiet de ea, elocanda sup. & nuptui tradenda, id est, quando per Apostolos & Apostolicos erit conuenienda & pertrahenda ad fidem & religionem Christi, quod quoddam est matrimonium. *Quid faciemus*, ego & vos, ô amici cœlites. Si verba sint Sponsi. Sic docebit Sanctos ad salutem hominum operari precibus & ministerio quodam, saltem quantùm attinet ad Angelos, qui sunt administratorij Spiritus in ministerium missi, propter eos qui hæreditatem capient salutis. Heb.1. Vel, Ego & tu, ô Sponsa, quid faciemus sororculæ nostræ, quando illam oportebit collocare? Nam etiam Ecclesia cum Domino concurrit ad procurandam hominum salutem ministerio Verbi, Sacramentis, quæ Christus instituit, & per quæ interius operatur, aliis denique modis plurimis. Si Sponsæ sint verba, non immutabitur intellectus. Quid ego & tu, ô Sponse, sororculæ nostræ faciemus, quando erit vocanda ad nuptias spirituales? Optabit Synagoga & Ecclesia Apostolica gentes etiam ad

Domini cognitionem participationémque adduci.

9. Respondet Dominus ad superiorem deliberationem: Si murus est, &c. Si perstat in fide, quam semel susceperit, eam magis ac magis ornabimus, atque muniemus, alia dona subinde ei adhibebimus, quinetiam aditum eius tabulis Cedrinis nunquam putrescentibus stabiliemus, si fuerit Ianua, & admiserit Apostolos, ac eis aperuerit. Sic Paulus loquitur, Ad vos ostium Corinthij mihi apertum est. 1. Cor. 16. Et, Veni ad Troadem, & apertum mihi fuit ostium in Domino, 2. Cor. 2. id est, cor humanum. Nam etiam postrema pars versiculi in bonum explicari debet, vt idem polliceatur diuersis metaphoris. Non in malum, vt R. Selomo & R. Abraham censuerunt, quasi per Antithesim posterius hoc mēbrum ad hunc modum intelligendum sit. Si Ecclesia Gentium murus est, & perstiterit in fide, eam magis ac magis decorabimus, structo super eam palatio argenteo, ei dabimus arcem argenteam, vt sit munitior & ornatior, ei insuper addemus robur & ornamenta. Quòd si è conuerso est Ianua, & se amasiis aliis aperuerit atque prostituerit, si se gesserit, vt porta versatilis & cunctis exposita, arctabimus, prohibebimus, excludemus eam à nostro consortio tabulis Cedrinis. Opponemus ei firmissimos postes & ostia, ne possit ad nos ingredi. Si verba sint Sponsæ, sensus non admodum differet citra Antithesim quidē. Si est vt murus, firma & constans, dabimus ei palatium argenteum: si, vt ianua, se aperit Apostolis eorúmque verbum

recipit, fores Cedrinas, id est, eam rebus pretiosis ornabimus, ac nosmetipsos ipsius captui attemperabimus. Sic Ecclesia Apostolica sese accommodauit ad Ecclesiam Gentium, Act.15. Per Antithesim verò ab Hebræis ferè conceptam, Si Ecclesia Gentium perstet in fide, & seruet pudicitiam, palatium siue arcem habebit argenteam, Sin minus, id est, si vt Ianua sese aperiat & prostituat aliis amasiis, excludemus eam, vt 1. Cor.3. Aliqui etiam putant esse verba puellarum, siue etiam Gentium. *Aedificemus*, vel enuntiatiuè ędificabimus propugnacula argentea ad eam ornandam, & præterea muniendam firmiúsque roborandam. *Tirá* & arcem, siue propugnaculum, & palatium designat. *Ostium*, valuæ, fores, ianua versatilis. *Compingamus*, vel compingemus, arctabimus prop. id est, dabimus ei fores Cedrinas, alij muniemus. Abben Ezra, obsidebimus, prohibebimus eam tabulis Cedrinis.

10 Quod ad me attinet quæ sum Catholica & omnium temporum Ecclesia, murus sum, id est, firma, stabilis & ampla ad cōcludendos multos, & habeo mammas prælongas ad lōge lactandos homines. Ego gratia & doctrina, quam mecum communicauit Sponsus, facta sum murus, cui facile superstruas aurum, argentum, lapides pretiosos. 1. Cor. 3. Mammas etiam habeo, quæ lac sitiētibus ministrēt, Tuncque euasi veluti amica, quæ amico mirum in modum placet. *Sicut turris*, Pluraliter in Fonte, sicut turres. Quia se comparauerat muris, vbera sua comparat turribus, quibus murus firmatur, decoratúrque, persistens in

Allegoria. *Ex quo*, ſcilicet tempore. Hinc in Fonte. Tum fui in oculis eius tanquam inueniens pacem.i.tranquillitatem animi & conſcientiæ. Poſt profeſſionẽ & propoſitum de conſtantia pietatis, & patientia rerum quarumlibet propter Dominum, pace alta, voluptate animi & tranquillitate conſcientiæ exuperante omnem ſenſum fruimur. Alibi in mundo nemo animi quietem & pacem conſequitur. *Pacem.* Pax Hebræis generale nomen eſt ad omnem proſperitatem & fœlicitatem, quam pax conferre ſolet, vt bellum è conuerſo omnem calamitatem inuehit. Aliqui reſtringunt ad recõciliationẽ, gratiam & remiſſionẽ peccatorum, ad quam ſequitur pax & teſtimoniũ ſuaue conſcientiæ. Vt in principiis Epiſtolarum Apoſtolicarum, Gratia vobis & pax in Chriſto Ieſu.

11 Proponit in medium vineam, quam exquiſitè, pretioſè, in ſolo fructuoſo & amœno ſibi plantauit Salomon, inter cætera nobilia magnificentiæ ſuæ opera & monumenta, vt eam ſequenti verſu cum ſua comparet. *Pacifico*, id eſt, Salomoni. Et ſic ponitur in Fonte, quod nomen proinde, tãquam proprium, melius fortaſſe retineatur, ne, ſi interpreteris, appellatiuè videatur ſumi. *In ea quæ habet populos.* In Baal Hamon Heb. vt intelligamus nomen eſſe loci proprium, cuius ſolũ erat ampliſſimum, vinis generoſis accommodatiſſimum, & pretioſiſſimum. Nam tellus altera alteri præſtat ad res proferendas, Bacchus amat colles, &c. Ita hîc etiam rectius retineatur vox Hebraica. Porrò *Baal Hamon* ſonat propriè Dominum ſiue poſſeſſorem multitudinis, vel ſecundum R. Selomonẽ, planitiem multitudinis. Nam

Baal aliquando planitiem designat. Hinc Rabbini ferè intelligunt Hierosolymam, locum populosum siue vrbem populosam in fertilissimo solo sitam, quæ Lam. id est, multa populo asseritur, vel Iudæam, cuius populus multiplicabatur, vt arena maris, & stellæ cæli, quemadmodum loquuntur Moses & Paulus. *Custodibus*, colonis, vinitoribus, ad colendam vineam & seruandam à furibus & bestiis. *Tradidit* nō dono, sed locatione, id est, elocauit vt Matt. 21. Homo paterfamilias plantauit vineam, sepe circundedit, torculari & turri instruxit, & locauit eam agricolis, & peregrè profectus est. Manu propria vineam suam non colebat Salomon, sed per colonos, quibus eam locauerat, sed nec fructum eius, id est, vinum capiebat: verùm pretium vini. *Vir affert*, quisque reddit, singuli reddunt & pensitant mille argenteos, adeo vt tot argēteorum nummorum millia inde colligeret, quot essent coloni. Hunc locum non intelligunt, qui putant mille duntaxat fuisse Salomoni ex ea pensitatos, & in eius ærarium illatos. Nā איש *vir* phrasi linguæ distributiue accipitur. Hoc magnificum & exquisitum opus Salomonis per concessionem suæ vineæ Sponsæq. Ver. accommodat.

12 Sponsa exaggerat suum amorem comparatione duarum vinearum, vnius externæ à Salomone loco commodissimo & feracissimo plantatæ, alterius suæ, quæ spiritualis est & mystica. Nā designat populum Ecclesiæ commissum, fideliū curam & rectionem, vt hortus, ager, pomarium,

ſuprà. Tibi (inquit, per Conceſſionem Rhetoricam) fuerit vinea ô Salomon pretioſiſſima & fructuoſiſſima, & eam locaueris vinitoribus, vt inde mille argēteos annuo redditu à ſingulis vinitoribus recipias, & ipſi coloni, qui eam cōduxerunt, lucrum ducentorū faciant: At vinea mea coram me eſt, non eam alteri ſum commiſſura, ipſa eam curabo, fructum longè ampliorem inde ſperans. Ego pecuniam nolo, non ſortem, non acceſſionem, ſed vt ſit vinea mea coram me, in qua me cum Dilecto meo, ſeorſim & ſemotis profanis hominibus, oblectem. Nam ea voluptas mihi eſt quauis pecunia optatior. Sic & Abben Ezra in Dramatica expoſitione. Hebræi tamen alij, item & Noſtri conſtanter per Salomonem etiam ad literam hic Chriſtum ſignificari tradunt. atque vt ſupra montes Bather, ita & hic Baal Hamon ſimiliáque conficta eſſe per quandam alluſionē. Vnde Noſter Salomonis nomen appellatiuè per *Pacificum* reddidit, & Baal Hamon, per *eam, quæ habet populos*. Quinetiam Abben Ezra in expoſitione tertia, id eſt, allegorica, Meſſiam hîc notat dici Patronymicè Salomonem, quaſi Salomonis filium. Cuſtodes verò eſſe Prophetas, Apoſtolos, & reliquos, quorum eſt Dei vocatione & inſtituto Eccleſiam regere. Etſi R. Selomo in malum ſumat, referens ad quatuor Monarchias, à quibus Synagoga & Eccleſia, multa paſſæ ſunt. Quo myſterio Sponſa confert inter ſe duas vineas, Synagogam & Catholicam, quæ Iudæorum ſimul eſt ac Gentium. Vinea Iudæorum cuſtodibus Prophetis data attulit mille ar-

gẽteos per singulos custodes Salomoni Christo. At mea Gentium omnium simul & Catholica non tantùm affert hoc pretium Christo, sed & custodibus ducentos nummos. Quod de altera dici non potest, quæ non nisi Prophetis attulit crucem & martyria, atque ita soli Christo fructificauit, cum hæc etiam custodibus & pastoribus honores, consolationem, fructum afferat. Sunt qui putent vtrumque enuntiari de vna & eadem vinea, sed quæ duobus hominũ generibus commissa sit, olim Prophetis, postea, quando Christus sibi despõsauit Ecclesiam, Sponsæ. q.d. Olim tibi Salomoni pro vineæ tuæ fructibus custodes Prophetæ tantum pensitabant mille argenteos, at hodie per me, cui eam credidisti, habes totidẽ & prætereà ducentos pro custodibus & pastoribus tuis. Simplicius est vt vbique *Salomon* sit nomen profanum, & designet Regem ipsum Salomonem libelli scriptorem. Deinde per Concessionem accommodatio sequatur. Habe tibi mille argenteos à singulis custodibus, & ipsi ducentorum lucrum faciant, at non propterea meam ego locauero. Vel, quod eodẽ tendit, Vineam meam ipsamet propria manu colam, nec aliis committam, quantumuis ex locatione nescio quot millia colligas, & tui coloni ducenta, vt eius aspectu fruar, in ea me oblectem, memor veteris prouerbij, Villicari, quo Dominus rarenter venit, non villicari, sed dominari est. *Mea*, In Fonte Genus est Epizeuseos, Vinea mea, quæ mihi, id est, quæ mea (est) vel quæ mihi (commissa est) coram me (est) ab ea nunquam oculos demoueo, eam

habeo perpetuò antę oculos. Oculus Domini saginat equum, vineam, agrum, &c. *Tibi.* mendosè in aliquibus codicibus legitur *Tui pacifici*, pro *Tibi pacifice.* Est autem sensus per concessionem, *Mille* argēti *Tibi* sint à custodum siue colonorum quolibet ô *pacifice*, ô Salomon, cuius nomen Pacificum sonat, *& Ducenti* sint *custodientibus fructum eius*, vineámque illam colentibus.
13 O Sponsa, quæ habitas in hortis, socij mei attendunt ad vocem tuam; tua cantica audire cupiunt, fac vt ipse ea quoque audiam. Tuæ vocis suauitate & dulcedine oblectantur & capiuntur Angeli & alij Sancti; fac me quoque ea oblectes. Perspicuus locus, contra istos indoctos Caluinitas, qui negant preces Ecclesiæ innotescere cælitibus, vocem eius ab iis minimè audiri, cantica ad illos nequaquam peruenire. *Horti* autem sunt Ecclesiæ, cœtus piorum, vel personæ particulares, quas Dominus exornat & excolit multis virtutibus variísque donis, tanquam floribus & plantis efficacibus. *Amici*, siue socij Spōsi, Angeli etiam è R. Selomone & Hebræis aliis, qui preces Ecclesiæ audiunt, & Deo offerunt, quemadmodum & legitur Act. 10. & in Tobia. Hic adiunge reliquos cœlites & Sanctos qui in Apocalypsi sequi memorantur Agnum quocumque ierit. Quanquam nonnullorum opinione ita appellentur Pseudoprophetæ, qui se simulant socios Christi, cum nihil sint minus. *Vox* Sponsæ suauis, pudica, humilis, ideóque Sponso acceptissima & optatissima. Cuiusmodi sunt ipsius hymni. Psalmi, cātica, inuocationes, in quibus omnia sunt vel sim-

plices precationes & petitiones, vel confessiones & laudationes, siue ad laudandũ inuitationes & cohortationes, vel gratiarũ actiones, vel querimoniæ, lamentationes, expostulationes. Quæ quàm sint grata & probata Domino apparet è Psalmis, Inuoca & honorificabis me, &c. *Quæ* ô quę hortos incolis herbis, floribus, fructibus vestitos, procul à mundi strepitu & turbis. *Amici auscultant*, vocem tuam per Hypozeugma. Hinc in Fonte est transpositio. Amici (mei) auscultant vocem tuã, fac me audire. Et magis ad Verbum, Socij (mei) attendunt voci tuæ, fac me audire (illam). Cæterum doctè Noster postposuit, vt doceret, *Vocem* construendam cum vtroque verbo, ἀπὸ τοῦ κοινοῦ. Quemadmodum socij mei libẽter audiunt vocem tuam, ea delectantur, ei sedulo intendũt, & veluti ad illam aures arrigunt vel inclinant. (Ea enim est vis verbi הקשיב *hikſib.*) me viciſſim eius dulcedine & suauitate recrea. A te Cantica illa requiro, (vt interpretantur Hebræi) quibus Angelos ministerij socios & meos & tuos, recreas ac reficis. Vbi obserua R. Selomonem Amicos siue socios non Sponsi, sed Sponsæ interpretari, quamquam & ipse Angelos intelligat. Angeli (inquit) ministerij socij tui, ô Sponsa, filij Dei, vt tu, tui similes attẽdũt, accedúntque ad audiendum vocem tuam in Synagogis. Ergo *Amici* sub. vel *Mei* vel *Tui* diuersa quidem notione, sed eodem sensu.

14 Tanta celeritate propera, ô Sponse, vt fugere videare, & recipe te te, me tecum vnà trahens in cœlum, vbi degunt beati & immortales spiritus,

vel in Ecclesiæ sedem, quæ olim quidem fuit Hierosolymis, hodie verò vbique terrarum, præsertim autem in thronis Apostolicis, quorum caput Roma sanguine B B. Apostolorum Petri & Pauli dedicata, vt ad satietatem, vocem meam, quam tantopere expetis & efflagitas, audire possis; & ego vicissim præsentia, cōspectu, amplexu, amoribus denique tuis frui valeam. Hîc quatenus humana conditio feret, in cœlo autem completa absolutáque coniunctione, in qua sempiterna hominis fœlicitas Scripturis concepta maximè existit. *Fuge*, fugere hic est celeriter ire & contendere more fugientium. Sic & apud Poëtas Nostros. Fuge, celeriter abi ex hoc loco profano & impio super montes Aromatum Sionios ex Hebræis & Sanctos. Illic enim mea Cantica modulor, non hîc in terris profanis. q. d. Quia vocem meam audire vis, fuge ex hoc loco & magna celeritate veni ad montes Aromaticos & Sanctos, spiritualibus gratiis & virtutibus fragrantes. Illic enim canto, non in terra aliena, Vt in Psal. Quomodo cantabimus Canticum Domini in terra aliena? Interim autem alludit ad incarnationem Domini. Veni celeriter Domine Iesu super mōtes Aromatum, in loca odorifera tuæ Ecclesiæ per carnem, & non tantùm per spiritū. Illic audies mea Cantica, illic ego vicissim te fruar & tua dulci consuetudine atque consortio. Alij per montes Aromatum, cœlum intelligunt, vbi vox Ecclesiæ suauissimá & Alleluia perpetuum, gratiarū actio perénis, &c. Apocalÿ. 19. *Et assimilare*, similis esto capreolo (nam vox *Tsebi* masculini generis) aut

hinnulo Ceruorum, qui pernicitate vigent, eorum instar propera & curre ad propositum locum. Hoc autem interiectum est per parenthesim. Nam *super montes Aromatum*, construi debet cum principio versiculi, id est, cum verbo *Fuge*, vt supra capite 2. versu vltimo. *Hinnulóque*, in Fonte disiunctiuè, aut hinnulo Ceruorum, Ceruulo. Capreolus scilicet & Ceruulus specie differunt. His & nos similes, agitati ab huius mundi canibus celeriter contendamus ad rupes tutas & securas, montes cœli Aromaticos, vt ibi dulci Domini complexu perfruamur, malis & periculis omnibus ipsius gratia ac munere liberemur, beatitudine nobis, benè cõtra carnis contumaciam, Satanæ fraudes, mũdi illecebras, peccati delicias pugnantibus promissa potiamur.

Commentariorum in Salomonis Cantica finis.

DEO LAVS, HONOR, GLORIA.





COMMENTARIVS R. SELOMONIS Iarhij in primum cap. Cantici Cant.

Psal.62. VNum pronunciauit Deus, duo hæc audiui. Scriptura quidem vna eadémque trahitur in quãplurimos sensus, sed nulla tibi est, quæ simplicis & historici sensus rationẽ euadat. Quamquam enim Prophetæ libenter vsurpant similitudines, necesse est tamẽ illas accommodare ad modos suos seu tropos & ad ordinẽ, qua ratione scripturæ aliæ post alias loco & ordine collocatæ sunt. Vidi in librum hũc quamplurimas expositiones allegoricas, quasdam quidem, quæ eum totum adaptabãt vni perpetuæ allegoriæ, alias verò, quæ distrahebant in varias & multiplices, atque seorsum tractabant in locos Biblicos. Quoniam autem hæ nõ sunt modificatę ad normã & seriem scripturarum, apud me constitui sensum literæ, accommodando interpretationem eorum ad seriem seu cõtextum, allegoriásque doctorum nostro-

Loquendi consuetudinem לשון

rum singulas singulis suis locis distinctè collocando, persequi.

Vt igitur meam sententiam explicem, vidit Salomon Spiritu sancto fore, vt Israelitæ abducerentur procul à finibus, aliquot sibi mutuo succedentibus exiliis & euersionibus, atque lamentarentur in hac (in qua hodie sunt) captiuitate gloriam suam pristinã, recordati dilectionis priscæ, qua erant peculium Domini præ reliquis omnibus populis, in hanc sententiam: Ibo & reuertar ad virum meum primum, quia tum mihi melius erat, quàm nunc, & recordabuntur beneficiorum eius & præuaricationis suæ, qua præuaricati sunt, & bonorum, quæ illis pollicitus erat daturum se extremis temporibus. Argumẽtum autẽ libri Spiritus sancti afflatu sumit ex persona mulieris, quæ multã ętatẽ vidua vixerat, cursitantis ad maritũ, salientis ad dilectum, recensentis suam erga eum dilectionem à puero cõciliatam, & deprecantis thori perfidiam. *Ex hac oratione* inducitur sponsus grauiter angustias eius ferre & commemorare quantá fuerint encomia pueritiæ, quanta venustas pulchritudinis, quanta rectitudo operum eius, quibus ad ardentissimum ipsius amorem pellectus sit, idque vt intelligat se non ex animi

Argumentum libri.

Os. 2.

Domini cognitionem participationémque adduci.

9. Respondet Dominus ad superiorem deliberationem: Si murus est, &c. Si perstat in fide, quam semel susceperit, eam magis ac magis ornabimus, atque muniemus, alia dona subinde ei adhibebimus, qui etiam aditum eius tabulis Cedrinis nunquam putrescentibus stabiliemus, si fuerit Ianua, & admiserit Apostolos, ac eis aperuerit. Sic Paulus loquitur, Ad vos ostium Corinthij mihi apertum est, 1. Cor. 16. Et, Veni ad Troadem, & apertum mihi fuit ostium in Domino, 2. Cor. 2. id est, cor humanum. Nam etiam postrema pars versiculi in bonum explicari debet, vt idem polliceatur diuersis metaphoris. Non in malum, vt R. Selomo & R. Abraham censuerunt, quasi per Antithesim posterius hoc mēbrum ad hunc modum intelligendum sit. Si Ecclesia Gentium murus est, & perstiterit in fide, eam magis ac magis decorabimus, structo super eam palatio argenteo, ei dabimus arcem argenteam, vt sit munitior & ornatior, ei insuper addemus robur & ornamenta. Quòd si è conuerso est Ianua, & se amasiis aliis aperuerit atque prostituerit, si se gesserit, vt porta versatilis & cunctis exposita, arctabimus, prohibebimus, excludemus eam à nostro consortio tabulis Cedrinis. Opponemus ei firmissimos postes & ostia, ne possit ad nos ingredi. Si verba sint Sponsæ, sensus non admodum differet citra Antithesim quidē. Si est vt murus, firma & constans, dabimus ei palatium argenteum: si, vt ianua, se aperit Apostolis eorúmque verbum

recipit, fores Cedrinas, id est, eam rebus pretiosis ornabimus, ac nosmetipsos ipsius captui attemperabimus. Sic Ecclesia Apostolica sese accommodauit ad Ecclesiam Gentium, Act.15. Per Antithesim verò ab Hebræis ferè conceptam, Si Ecclesia Gentium perstet in fide, & seruet pudicitiam, palatium siue arcem habebit argenteam, Sin minús, id est, si vt Ianua sese aperiat & prostituat aliis amasiis, excludemus eam, vt 1. Cor.3. Aliqui etiam putant esse verba puellarum, siue etiam Gentium. *Aedificemus*, vel enuntiatiuè ędificabimus propugnacula argentea ad eam ornandam, & præterea muniendam firmiúsque roborandam. *Tirá* & arcem, siue propugnaculum, & palatium designat. *Ostium*, valuæ, fores, ianua versatilis. *Compingamus*, vel compingemus, arctabimus prop. id est, dabimus ei fores Cedrinas, alij muniemus. Abben Ezra, obsidebimus, prohibebimúsque eam tabulis Cedrinis.

10 Quod ad me attinet quæ sum Catholica & omnium temporum Ecclesia, murus sum, id est, firma, stabilis & ampla ad cõcludendos multos, & habeo mammas prælongas ad lõge lactandos homines. Ego gratia & doctrina, quam mecum communicauit Sponsus, facta sum murus, cui facile superstruas aurum, argentum, lapides pretiosos. 1. Cor.3. Mammas etiam habeo, quæ lac sitiẽtibus ministrér, Tuncque euasi veluti amica, quæ amico mirum in modum placet. *Sicut turris*, Pluraliter in Fonte, sicut turres. Quia se comparauerat muris, vbera sua comparat turribus, quibus murus firmatur, decoratúrque, persistens in

Allegoria. *Ex quo*, ſcilicet tempore. Hinc in Fonte. Tum fui in oculis eius tanquam inueniens pacem.i.tranquillitatem animi & conſcientiæ. Poſt profeſſionē & propoſitum de conſtantia pietatis, & patientia rerum quarumlibet propter Dominum, pace alta, voluptate animi & tranquillitate conſcientiæ exuperante omnem ſenſum fruimur. Alibi in mundo nemo animi quietem & pacem conſequitur. *Pacem*. Pax Hebræis generale nomen eſt ad omnem proſperitatem & fœlicitatem, quam pax conferre ſolet, vt bellum è conuerſo omnem calamitatem inuehit. Aliqui reſtringunt ad recōciliationē, gratiam & remiſſionē peccatorum, ad quam ſequitur pax & teſtimoniū ſuaue conſcientiæ. Vt in principiis Epiſtolarum Apoſtolicarum, Gratia vobis & pax in Chriſto Ieſu.
11 Proponit in medium vineam, quam exquiſitè, pretiosè, in ſolo fructuoſo & amœno ſibi plantauit Salomon, inter cætera nobilia magnificentiæ ſuæ opera & monumenta, vt eam ſequenti verſu cum ſua comparet. *Pacifico*, id eſt, Salomoni. Et ſic ponitur in Fonte, quod nomen proinde, tāquam proprium, melius fortaſſe retineatur, ne, ſi interpreteris, appellatiuè videatur ſumi. *In ea quæ habet populos*. In Baal Hamon Heb. vt intelligamus nomen eſſe loci proprium, cuius ſolū erat ampliſſimum, vinis generoſis accommodatiſſimum, & pretioſiſſimum. Nam tellus altera alteri præſtat ad res proferendas, Bacchus amat colles, &c. Ita hîc etiam rectius retineatur vox Hebraica. Porrò *Baal Hamon* ſonat propriè Dominum ſiue poſſeſſorem multitudinis, vel ſecundum R. Selomonē, planitiem multitudinis. Nam

Baal aliquando planitiem designat. Hinc Rabbini ferè intelligunt Hierosolymam, locum populosum siue vrbem populosam in fertilissimo solo sitam, quæ Lam. id est, multa populo, asseritur, vel Iudæam, cuius populus multiplicabatur, vt arena maris, & stellæ cæli, quemadmodum loquuntur Moses & Paulus. *Custodibus*, colonis, vinitoribus, ad colendam vineam & seruandam à furibus & bestiis. *Tradidit* nō dono, sed locatione, id est, elocauit vt Matt. 21. Homo paterfamilias plantauit vineam, sepe circundedit, torculari & turri instruxit, & locauit eam agricolis, & peregrè profectus est. Manu propria vineam suam non colebat Salomon, sed per colonos, quibus eam locauerat, sed nec fructum eius, id est, vinum capiebat: verùm pretium vini. *Vir affert*, quisque reddit, singuli reddunt & pensitant mille argenteos, adeo vt tot argēteorum nummorum millia inde colligeret, quot essent coloni. Hunc locum non intelligunt, qui putant mille duntaxat fuisse Salomoni ex ea pensitatos, & in eius ærarium illatos. Nā איש *vir* phrasi linguæ distributiue accipitur. Hoc magnificum & exquisitum opus Salomonis per concessionem suæ vineæ Sponsaeq. Ver. accommodat.

12 Sponsa exaggerat suum amorem comparatione duarum vinearum, vnius externæ à Salomone loco commodissimo & feracissimo plantatæ, alterius suæ, quæ spiritualis est & mystica. Nā designat populum Ecclesiæ commissum, fideliū curam & rectionem, vt hortus, ager, pomarium,

suprà. Tibi (inquit, per Concessionem Rhetoricam) fuerit vinea ô Salomon pretiosissima & fructuosissima, & eam locaueris vinitoribus, vt inde mille argẽteos annuo reddìtu à singulis vinitoribus recipias, & ipsi coloni, qui eam cõduxerunt, lucrum ducentorũ faciant: At vinea mea coram me est, non eam alteri sum commissura, ipsa eam curabo, fructum longè ampliorem inde sperans. Ego pecuniam nolo, non sortem, non accessionem, sed vt sit vinea mea coram me, in qua me cum Dilecto meo, seorsim & semotis profanis hominibus, oblectem. Nam ea voluptas mihi est quauis pecunia optatior. Sic & Abben Ezra in Dramatica expositione. Hebræi tamen alij, item & Nostri constanter per Salomonem etiam ad literam hic Christum significari tradunt. atque vt supra montes Bather, ita & hic Baal Hamon similiáque conficta esse per quandam allusionẽ. Vnde Noster Salomonis nomen appellatiuè per *Pacificum* reddidit, & Baal Hamon, per *eam, quæ habet populos*. Quinetiam Abben Ezra in expositione tertia, id est, allegorica, Messiàm hîc notat dici Patronymicè Salomonem, quasi Salomonis filium. Custodes verò esse Prophetas, Apostolos, & reliquos, quorum est Dei vocatione & instituto Ecclesiam regere. Etsi R. Selomo in malum sumat, referens ad quatuor Monarchias, à quibus Synagoga & Ecclesia, multa passæ sunt. Quo mysterio Sponsa confert inter se duas vineas, Synagogam & Catholicam, quæ Judæorum simul est ac Gentium. Vinea Iudæorum custodibus Prophetis data attulit mille ar-

gēteos per singulos custodes Salomoni Christo. At mea Gentium omnium simul & Catholica non tantùm affert hoc pretium Christo, sed & custodibus ducentos nummos. Quod de altera dici non potest, quæ non nisi Prophetis attulit crucem & martyria, atque ita soli Christo fructificauit, cum hæc etiam custodibus & pastoribus honores, consolationem, fructum afferat. Sunt qui putent vtrumque enuntiari de vna & eadem vinea, sed quæ duobus hominū generibus commissa sit, olim Prophetis, postea, quando Christus sibi desposauit Ecclesiam, Sponsæ. q.d. Olim tibi Salomoni pro vineæ tuæ fructibus custodes Prophetæ tantum pensitabant mille argenteos, at hodie per me, cui eam credidisti, habes totidē & prætereà ducentos pro custodibus & pastoribus tuis. Simplicius est vt vbique *Salomon* sit nomen profanum, & designet Regem ipsum Salomonem libelli scriptorem. Deinde per Concessionem accommodatio sequatur. Habe tibi mille argenteos à singulis custodibus, & ipsi ducentorum lucrum faciant, at non propterea meam ego locauero. Vel, quod eodē tendit, Vineam meam ipsamet propria manu colam, nec aliis committam, quantumuis ex locatione nescio quot millia colligas, & tui coloni ducenta, vt eius aspectu fruar, in ea me oblectem, memor veteris prouerbij, Villicari, quo Dominus rarenter venit, non villicari, sed dominari est. *Mea*, In Fonte Genus est Epizeuseos, Vinea mea, quæ mihi, id est, quæ mea (est) vel quæ mihi (commissa est) coram me (est) ab ea nunquam oculos demoueo, eam

habeo perpetuò ante oculos. Oculus Domini saginat equum, vineam, agrum, &c. *Tibi.* mendosè in aliquibus codicibus legitur *Tui pacifici*, pro *Tibi pacifice.* Est autem sensus per concessionem, *Mille* argēti *Tibi* sint à custodum siue colonorum quolibet ô *pacifice*, ô Salomon, cuius nomen Pacificum sonat, *& Ducenti* sint *custodientibus fructum eius*, vineámque illam colentibus.

13 O Sponsa, quæ habitas in hortis, socij mei attendunt ad vocem tuam, tua cantica audire cupiunt, fac vt ipse ea quoque audiam. Tuæ vocis suauitate & dulcedine oblectantur & capiuntur Angeli & alij Sancti, fac me quoque ea oblectes. Perspicuus locus, contra istos indoctos Caluinitas, qui negant preces Ecclesiæ innotescere cælitibus, vocem eius ab iis minimè audiri, cantica ad illos nequaquam peruenire. *Horti* autem sunt Ecclesiæ, cœtus piorum, vel personæ particulares, quas Dominus exornat & excolit multis virtutibus variísque donis, tanquam floribus & plantis efficacibus. *Amici*, siue socij Spōsi, Angeli etiam è R. Selomone & Hebræis aliis, qui preces Ecclesiæ audiunt, & Deo offerunt, quemadmodum & legitur Act. 10. & in Tobia. Hic adiunge reliquos cœlites & Sanctos qui in Apocalypsi sequi memorantur Agnum quocumque ierit. Quanquam nonnullorum opinione ita appellentur Pseudoprophetæ, qui se simulant socios Christi, cum nihil sint minus. *Vox* Sponsæ suauis, pudica, humilis, ideóque Sponso acceptissima & optatissima. Cuiusmodi sunt ipsius hymni. Psalmi, cātica, inuocationes, in quibus omnia sunt vel sim-

plices precationes & petitiones, vel confessiones & laudationes, siue ad laudandū inuitationes & cohortationes, vel gratiarū actiones, vel querimoniæ, lamentationes, expostulationes. Quæ quàm sint grata & probata Domino apparet è Psalmis, Inuoca & honorificabis me, &c. *Quæ* ô quę hortos incolis herbis, floribus, fructibus vestitos, procul à mundi strepitu & turbis. *Amici auscultant*, vocem tuam per Hypozeugma. Hinc in Fonte est transpositio. Amici (mei) auscultant vocem tuã, fac me audire. Et magis ad Verbum, Socij (mei) attendunt voci tuæ, fac me audire (illam). Cæterum doctè Noster postposuit, vt doceret, *Vocem* construendam cum vtroque verbo, ἀπὸ τοῦ κοινοῦ. Quemadmodum socij mei libẽter audiunt vocem tuam, ea delectantur, ei sedulo intendũt, & veluti ad illam aures arrigunt vel inclinant. (Ea enim est vis verbi הקשיב *hikſib*.) me vicissim eius dulcedine & suauitate recrea. A te Cantica illa requiro, (vt interpretantur Hebræi) quibus Angelos ministerij socios & meos & tuos, recreas ac reficis. Vbi obserua R. Selomonem Amicos siue socios non Sponsi, sed Sponsæ interpretari, quamquam & ipse Angelos intelligat. Angeli (inquit) ministerij socij tui, ô Sponsa, filij Dei, vt tu, tui similes attẽdũt, accedúntque ad audiendum vocem tuam in Synagogis. Ergo *Amici* sub. vel *Mei* vel *Tui* diuersa quidem notione, sed eodem sensu.

14 Tanta celeritate propera, ô Sponse, vt fugere videare, & recipe tete, me tecum vnà trahens in cœlum, vbi degunt beati & immortales spiritus,

vel in Ecclesiæ ſedem, quæ olim quidem fuit Hierosolymis, hodie verò vbique terrarum, præſertim autem in thronis Apoſtolicis, quorum caput Roma ſanguine B B. Apoſtolorum Petri & Pauli dedicata, vt ad ſatietatem, vocem meam, quam tantopere expetis & efflagitas, audire poſſis; & ego viciſſim præſentia, cõſpectu, amplexu, amoribus denique tuis frui valeam. Hîc quatenus humana conditio feret, in cœlo autem completa abſolutáque coniunctione, in qua ſempiterna hominis fœlicitas Scripturis concepta maximè exiſtit. *Fuge*, fugere hic eſt celeriter ire & contendere more fugientium. Sic & apud Poëtas Noſtros. Fuge, celeriter abi ex hoc loco profano & impio ſuper montes Aromatum Sionios ex Hebræis & Sanctos. Illic enim mea Cantica modulor, non hîc in terris profanis. q. d. Quia vocem meam audire vis, fuge ex hoc loco & magna celeritate veni ad montes Aromaticos & Sanctos, ſpiritualibus gratiis & virtutibus fragrantes. Illic enim canto, non in terra aliena, Vt in Pſal. Quomodo cantabimus Canticum Domini in terra aliena? Interim autem alludit ad incarnationem Domini. Veni celeriter Domine Ieſu ſuper mõtes Aromatum, in loca odorifera tuæ Eccleſiæ per carnem, & non tantùm per ſpiritũ. Illic audies mea Cantica, illic ego viciſſim te fruar & tua dulci conſuetudine atque conſortio. Alij per montes Aromatum, cœlum intelligunt, vbi vox Eccleſiæ ſuauiſſima & Alleluia perpetuum, gratiarũ actio perẽnis, &c. Apocalÿ. 19. *Et aſsimilare*, ſimilis eſto capreolo (nam vox *Tſebi* maſculini generis) aut

hinnulo Ceruorum, qui pernicitate vigent, eorum instar propera & curre ad propositum locum. Hoc autem interiectum est per parenthesim. Nam *super montes Aromatum*, construi debet cum principio versiculi, id est, cum verbo *Fuge*, vt supra capite 2. versu vltimo. *Hinnulóque*, in Fonte disiunctiuè, aut hinnulo Ceruorum, Ceruulo. Capreolus scilicet & Ceruulus specie differunt. His & nos similes, agitati ab huius mundi canibus celeriter contendamus ad rupes tutas & securas, montes cœli Aromaticos, vt ibi dulci Domini complexu perfruamur, malis & periculis omnibus ipsius gratia ac munere liberemur, beatitudine nobis, benè cõtra carnis contumaciam, Satanæ fraudes, mũdi illecebras, peccati delicias pugnantibus promissa potiamur.

Commentariorum in Salomonis Cantica finis.

DEO LAVS, HONOR, GLORIA.



rum singulas singulis suis locis distinctè collocando, persequi.

Vt igitur meam sententiam explicem, vidit Salomon Spiritu sancto fore, vt Israelitæ abducerentur procul à finibus, aliquot sibi mutuo succedentibus exiliis & euersionibus, atque lamentarentur in hac (in qua hodie sunt) captiuitate gloriam suam pristinã, recordati dilectionis priscæ, qua erant peculium Domini præ reliquis omnibus populis, in hanc sententiam. Ibo & reuertar ad virum meum primum, quia tum mihi melius erat, quàm nunc, & recordabuntur beneficiorum eius & præuaricationis suæ, quã præuaricati sunt, & bonorum, quæ illis pollicitus erat daturum se extremis temporibus. Argumẽtum autẽ libri Spiritus sancti afflatu sumit ex persona mulieris, quæ multã ętatẽ vidua vixerat, cursitantis ad maritũ, salientis ad dilectum, recensentis suam erga eum dilectionem à puero cõciliatam, & deprecantis thori perfidiam. *Ex hac oratione* inducitur sponsus grauiter angustias eius ferre & commemorare quanta fuerint encomia pueritiæ, quanta venustas pulchritudinis, quanta rectitudo operum eius, quibus ad ardentissimum ipsius amorem pellectus sit, idque vt intelligat se non ex animi

Argumentum libri.

Os. 2.

ſententia illam affligere, & quòd dimiſſio eius non ſit repudium, cùm præſertim adhuc ipſam habeat pro vxore, ſeque nunc tandem mariti officio cum ea geſturus ſit.
1 *Canticum canticorum quod Salomonis.* Commentati ſunt Doctores noſtri nomen Salomonis, cuius mentio fit in Cantico canticorum, omnibus locis deſignare Chriſtũ Regem illum ſacroſanctum, cui tribuitur pax. Hìc enim editur Canticum cãticorum omnium excellentiſſimum, quódque habetur Deo Opt. Max. ab Eccleſia & populo ſuo Synagoga Iſraelica. Nunquam, inquit R. Akiba, talis dies illuxit atque is, quo traditũ Canticum canticorum Iſraelitis. Omnia enim Hagiographa ſancto quidem reſpondent, ſed Canticorum cãticum ſancto ſanctorum. Itaque illud R. Eleazar filius Azariæ comparat Regi, qui ſatum tritici ea lege piſtori tradit, inde vt hoc vel illo modo ſimilam talem, tantámque farinam popularem pariter & furfur hoc vel illo pacto eliciat, atque ſibi è medio eius libũ eximiũ & celſum efferat. Sic enim omnia Hagiographa referunt ſanctum, at hoc Canticum auguſtiſſimam templi partem. Totum enim eſt in timore Domini & de recipiendo regni eius iugo.

Furfur non ita craſſum.

2 *Osculetur me osculis oris sui.* Hoc Canticum habetur à Sponsa longo exilio & viduitate exercita. Vtinam, inquit, osculetur me Rex Selomó osculis oris sui. Hæc enim erat illius tēpestatis consuetudo. Cùm plerisque aliis locis osculum admoueatur manui aut humero. Ego verò, inquit, expeto, immo verò efflagito vt tete geras erga populum meum pristina consuetudine, sicut Sponsus erga Spōsam ore ori adhibito. *Quia meliores sunt*, mihi, *amores tui vino*, quáuis compotatione vini, quouis delicio & voluptate. Phrasi Hebraica conuiuium omne vtut deliciosum & voluptarium vini nomine appellatur, vt in Hester, præfectus super domo cōuiuij vini. In Cantico nulla est vini potio, sed fistula, nablum, cythara, tympanum sunt spectantibus vinum epulare. Hactenus simplex literæ expositio. Allegoria attingit legem, quam illis in prospectu habito colloquio, dedit. Illi, inquit, amores etiámnum dulciores sunt quauis oblectatione & ab eo speramus, vt adhuc nobis affulgeat, declarétque arcanos sensus & occulta mysteria eius, eóque adoramus vultū ipsius, vt confirmet verbum suum, hoc est, osculetur osculis oris sui.

3 *Ad odorem vnguētorum tuorum bonorum.*

adhæſerim. *Memores erimus amorum tuorum.* Etiámnum hodie in mea vitæ viduitate aſſiduè potiùs commemorabo amores tuos priſtinos, quàm vllum epulum aut conuiuium ſumptuoſum. *In rectitudinibus dilexerunt te.* Dilectio vehemens erat, dilectio rectitudinis abſque fraude & fuco, qua ego & olim patres mei dilexerunt te. Habes ſimplicem loci intelligentiam. Allegoricè autem Iſraëlitæ enumeratione coram Domino recēſent pietatem pueritiæ, amores quibus in deſponſatione flagrabant, prętereà vt Dominum in deſertum ſequuti ſint, terram ſquallentem, & ſimillimam vmbræ mortis, nec tamen id moleſtè tulerint credētes ei & nuncio eius, nec queſti hęc aut ſimilia dixerint, quo pacto exibimus in ſolitudinem, vbi locus non eſt ſementi aut cibo? ipſe verò introduxit eos in media penetralia circumpoſitis nubibus ſuis. In quo etiamnum hodie exultant & geſtiūt, etiamſi ſint in mediis afflictionibus & calamitatibus, atque ſeſe oblectant in lege eius, ac ibi amorum ipſius potiùs meminerunt, quàm vini, non diſſimulata ſuæ erga eum dilectionis rectitudine. Dilectio recta non fucata.

5 *Nigra ſum, ſed ſpecioſa.* ne quæſo ſociæ vileſcā oculis veſtris. Etſi enim reliquerit me

vir, nigroris, quo offundor, causa, (nam nigra sum æstu & ardore Solis) attamen elegans admodum mihi est membrorum conformatio. Vt nigra sim sicut tentoria Cedarenorum, quæ propter imbres atrore consperguntur, in desertis enim perpetuo tensa sunt, facilè tamen eluere me possum, & similis fieri pellibus Salomonis. Sensu allegorico Ecclesia Israelica externis gentibus, Nigra equidem, inquit, sum operibus meis, sed actionibus patrum meorum speciosa. Quinetiam operum meorũ quædam honesta sunt. Vt in me insit impietas vituli conflatilis, est tamen in me è contrario traditionum legis puritas. Vocat autem exteras nationes filias Ierusalem, quòd ipsa futura sit metropolis omnium populorum. Hoc prædixit Ezechiel, Dabo, inquit, eos tibi in filias: quo sensu in Iosue scribitur, Accharon & filiæ eius.

6 *Ne despicite me*, ne inspicite me contemptim, quòd sim nigra. Non enim hunc nigrorem & deformitatẽ traxi ex matris meæ visceribus, sed Solis adustione, cuiusmodi vmbram nactus remittitur & albescit. *Filij matris meæ*. nempe Ægyptij, inter quos educata sum, quique conscenderunt mecum turbâ promiscuâ, exarserunt in me, & solli-

citatione atque illecebris posuerunt custodem vinearũ, vbi adussit me Sol & nigram reddidit.q.d.adegerũt me ad cultum Deorum alienorum, & vineam meam, quam à maioribus acceperam, non seruaui. Pastores interdum in scriptura censentur vinearũ nomine, vt in Ezechiele, assignabo illi vineas suas, hoc est, interprete Chaldęo Paraphraste, præficiam illi pastores suos. sic alibi, respiciet viam vinearum. Ezec.34.

7 *Indica mihi ô quem diligit anima mea.* Iam Spiritussanctus denuo eam comparat oui, quæ pastori grata est. Ait igitur coram eo Ecclesia Israelica velut marito coniux, Indica mihi, ô quem deperit anima mea, quî fit vt pascas oues tuas inter lupos hos, qui sunt in medio, & stabules eas in meridie, in hoc exilio, quod illis est tempus afflictionis, sicut meridies ouibus? Nam quare ero tanquam עוטיה, inuoluta vel errans. Quid tua refert, inquies? at non id tibi glorię vertitur, vt sim tãquam lugẽs inuolutis labiis, atque fleam propter oues meas. *Ad greges sodalium tuorum.* Iuxta greges reliquorum pastorum, qui æquè, ac tu, pascunt oues. q.d. inter profanarum gentium turmas, quæ addictę sunt diis alienis, habéntque Reges & Principes, qui eas regant. Quomodo pascis oues, &c.

8 *Si ignoras.* hæc eſt paſtoris reſponſio, ſi ne-
ſcis, quô proficiſci debeas, vt paſcas oues
tuas ô mulierum pulcherrima, quòd illas
paſtor ducere deſierit, ***Exi tibi per veſtigia
ouium.*** Inſpice & obſerua veſtigia ouium,
quóque itinere perrexerint. Dignoſcuntur
enim facilè veſtigia, vernaculè *les traces.* Et
ſic pleriſque locis Scripturæ עקבותיך id eſt,
veſtigia tua non ſunt nota, &, ablata ſunt
Pſal.77. עקביך. i. veſtigia tua. Et, ipſe turmatim cin-
Ier.13. get עקב plantam. & redibit ad veſtigia ſua.
Gen.49. עקביו. Illam ergo viam tene. ***Et paſce agnos
tuos ad tabernacula paſtorum.*** Inter taberna-
cula reliquorum paſtorũ, iuxta quos verſa-
ris. Allegoricè verò, ſi ignoras ô Eccleſia, cõ-
cióque mea, mulierum. i. reliquarum natio-
num pulcherrimà, quo pacto paſcas & li-
berêris é manu anguſtantium, vt inter eos
viuas & non interficiant filios tuos, attende
ad vias patrum tuorum veterum, qui leges
Illorum vi- meas ſuſceperunt & ſeruarunt cautiones,
uẽdi ratio- præceptáque mea, & illorum viis inſiſte, at-
nem ſeque- que ita eam ob rem paſces agnos tuos apud
re. principes populorum. Vide Ieremiam hæc
concionantem, ſtatue tibi tumulos, pone
cor tuum in ſemitam.

9 ***Ad equitatum meum in curru Pharaonis,*** ſi-
Ita accom- lentium impoſui tibi, ſocia mea. לסוסתי. par-
modatè ad

ticula ל hoc loco non eſt index datiui caſus, expoſitionē
ſed præpoſitio, vt ſæpè aliàs. לקול· ad ſonitū, huius
quem edidit abundantia aquarum, & paulò Rab. verti-
ſuprà לריח' ad odorem vnguentorum tuo- mus, cæterū
rum, hoc ſenſu. Ad congregationem equo- altera ver-
rum multorū (Collegi enim exercitus meos, ſio præſtat.
vt in occurſum tuum exirē in currus Pha- Ab. 3.
raonis, ad ſeruandum te, ſicut ſcriptum eſt,
ambulaſti in mari cum equis tuis, equis plu-
rimis) ibi ſilere feci te ô ſocia mea, ibi con-
ticeſcere feci clamorem tuum, iuxta illud,
Dominus pugnabit & vos ſilebitis. Hanc
interpretationem reperi in ſiphrè agadá. Et
certè סוסת· equitatus, ſignificat multitudinē
equorum vernaculê *chauallerie.* דמיתיך verò
hoc etiam ſenſu accipi poteſt, ibi, inquit,
oſtendi omnibus te meam ſociam eſſe, aut
iſto, paraui te, &c. vt alibi, me דימו pararunt
ſeu cogitarunt interficere. Illic enim habitu
ſpecioſo exornaui te.
10 *Puchræ ſunt genæ tuæ murænulis.* תורים ſunt
ordines monilium aureorum, quæ auribus
& frontibus adhibentur. *Collum tuum moni-*
libus. חרוזים ſunt torques aurei & margaritæ
filo aureo colligatæ, quas ſibi ex ſpoliis Ægy
ptiorum, quos obrutos mare Rubrum euo-
muerat, comparauerant.
11 *Murænulas aureas faciemus tibi,* delibera-

uimus apud nos ego curiáque mea de Pharaone, ante ipſius aduentum, decipiendo, eóque ita obdurando, vt te perſequeretur cum omni gloria & gazis theſaurórum ſuorum, ex quibus tibi conficeremus muræenulas ornatu aureo. *Cum punctis argenti*, quod iam præ manibus erat, quódque ex Ægypto comportaueras. Fuit enim amplior prędа maris quàm Ægypti. Per puncta autem intelligit vaſa argentea punctim ſignata & picta maculis atque coloribus.

12 *Quandiu rex in accubitu ſuo.* reſpondet Eccleſia Iſraël & quæ ſequuntur omnia inquit, de me quidem optimè meritus es, ego verò de te peſſimè. quandiu enim rex in menſa, accubitu thalami ſui erat, *Nardus mea dedit odorem ſuum*, hoc eſt, putruit, per cõtrarium ſcilicet ſenſum, veluti ſignificãs illam, tantiſper dum diuina maieſtas erat in Sinaï, corruptam in vitulo. Antiphraſi autem ſcriptura vtitur, quòd delectetur genere dicendi puro alienóque ab obſcœnitate.

13 *Faſciculus myrrhæ dilectus meus.* Dilectus meus factus eſt mihi quaſi is in cuius ſinu myrrhæ faſciculus reponitur his verbis, hic tibi faſciculus odorem multò ſuauiorẽ primo, quem amiſiſti, ſpiraturus eſt. Ita enim Deus Opt. Max. Iſraëlitis placatus eſt, con-

donauítque culpam conflati vituli,& noxã remittẽs,ſponte, inquit,veſtra offerte ad tabernaculum. Item,offerat aurum tabernaculi & expiabitur ſuper auro vituli. *Inter vbera pernoctabit*, etſi præuaricata ſum in eum, tamen pollicetur ſe ibi habitaturum inter vbera mea,inter duos arcæ vectes.

14 *Botrus cypri dilectus meus.*Cyprus ſeu Kópher nomẽ eſt aromatis, vt, cypri cum nardis,&c. ſpeciémque botrorum præfert. *In vineis Hengadí.*nomen loci vbi reperitur cyprus.porrò hæ vites fructus ſuos ferre dicũtur in Agadá quater quinquiésve annis ſingulis.Allegoria pertinet ad quamplurimas expiationes & propitiationes, cùm Dominus multas tentationes, quibus eum in deſerto exercuerunt,remiſit. Cant.4. Liber eſt Hebræorũ.

15 *Ecce tu pulchra amica mea.*pudebat me corruptionum mearũ,ipſe verò cõfirmauit me verbis placidis & dixit, peperci vt poſtulabas, en te igitur pulchrã, quia oculi tui columbini.Significatur Spõſæ,cuius oculi ſordidi ſunt, corpus vniuerſum egere explorationis, cõtrà quæ oculis nitet & illuſtris eſt, ipſam ſe facilè explorare. Myſticè, quia cõdonaui tibi iniquitatẽ tuã, es profectò pulchra facto iuxtà ac auditu,pulchra operibus patrũ,pulchra ꝯperib⁹ tuis. Oculi enim tui

columbini, hoc eſt, iuſti apud te ſunt, qui cohæſerunt mihi, ſicut columba, quæ marem ſuum nunquam vt alteri iungatur deſerit. Hoc expreſſerunt Leuitæ, qui omnes conuenerunt ad eum, nec errore vituli

Exod. 39. capti ſunt. Præterea pulchra es opificio tabernaculi. Scribitur enim, Ecce abſoluerũt illud, &c. & benedixit eis Moſes, &c. Ideò ſcilicet collaudabat eos.

16 *Ecce tu pulcher Dilecte mi atque etiam ſuauis*. non hæc eſt mea pulchritudo, ſed tua ô tu qui pulcher (natura) es. *Atque etiam ſuauis*. diſſimulaſti enim prȩuaricationes meas, & diuinam maieſtatem tuam collocaſti in medio mei. Quæ eſt commendatio deſcenſus ignis, vidit, inquit, vniuerſus populus &

Leuit. 9. conclamauit, &c. *Etiam lectus noſter floridus*, beneficio ſuauitatis tuæ lectus ſanè noſter filiis & filiabus noſtris, qui omnes huc ad te conueniunt, floret, iuxta illud & congregata eſt multitudo, &c. Porrò tabernaculum vocatur lectus vt infrà. Ecce lectus

Cantic. 7. eius, qui Selomonis. Similiter ſanctuarium lecti nomine intelligitur, vt in hiſtoria Ioas, In conclaui, inquit, lectorum, qui erant in æde Domini. Vtrumque enim erat incrementum & amplificatio Iſraëlitarum.

17 *Trabes ædium noſtrarum Cedrinæ*. com-

mendatio tabernaculi. *Tigna nostra.* Heb. רחיט vtrum significet asserē an vectem equidem nescio. Mihi quidem perspectum est legi in Misna רחיטי Trabes seu vectes seu postes hominis testificantur in eum. Contextus tal mudicus.

COMMENTARII R. ABRAham *Abben Ezræ in* I. *Cap. Cant. Cant.*

HIc liber insignis est admodum & planè omnium approbatione commendatus. Ex omnibus Canticis Salomonis, quæ quinque supra mille fuerunt, nullum est quod cum hoc conferri possit, & proinde inscribitur *Canticum Canticorum Salomonis*. hoc enim siue carmen siue Cāticum dignius excellentiúsque est cæteris, quæ ipse edidit, ac in eo mysterium abstrusum & recōditum est, repetitum à temporibus Abrahæ parentis nostri ad tempora vsque Christi, imitatione Mosis, qui in Cantico, *Auribus percipite*, quando diuidebat Altissimus gētes, cœpit ab ætate qua diuisæ sunt Gentium linguæ, & progressus est ad Israëlicum de exilio reditum, quem speramus post prælium Gog & Magog. Porrò ne mireris, quòd compararit Ecclesiam Israëlis Spōsæ, & Dominum amanti. Is enim Deut. 32.

est scripturarum mos. Canticum Dilecti
Esa.5. mei, inquit Esaias, ad vineam suam. Et præ-
Es.62. tereà, sicut gaudium Sponsi super Sponsa.
Ezech,16. Vbera cōpressa sunt, ait Ezechiel, & pil' tuus
germinauit, tu verò nuda & spoliata. Item,
& operiam nuditatem tuam, & ornabo te
ornatu, cū tota sectione. Sic Oseas, Despon-
Os.2. sabo te mihi in perpetuum, vade ama mu-
Psal.45. lierem. Et in libro Psalmorū, Maschil Can-
ticum dilectionum, in quo etiam scribitur,
Audi filia & vide & inclina aurē tuam. Ne-
fas enim est credere Canticum Canticorū
esse de rebus Venereis. Nam certè allegori-
cum est, & nisi magna fuisset dignitas præ-
stantiáque eius, nunquam asscriptum esset
arcanis sacrarum literarum libris. Prætereà
nullus vnquam ipsum existimauit conta-
Mores. minare manus. Itaque cum sit suis numeris
perfectum, illud exposui tribus modis. Pri-
mo voces difficiliores & obscuriores, altero
rationem dramatis simplicem & historicā,
tertio sensus allegoricos declaraturus sum.

VOCVM PRIMI CA-
pitis explicatio.

Homines cōtēplationibus dediti.

HÆc ait Abraham filius R. Meïr Hispa-
ni huius commentarij author. Scioli

quidam exponere hunc librum cœperunt de mundi arcanis & modo coniunctionis animæ supremæ cũ corpore gradu infimo. Alij autẽ illum explicant de tẽperamẽtis & crasibus. Sed hos omnes tollet ventus, quia futiles sunt, nec verũ est aliud, quàm quod tradiderunt Doctores nostri, quorũ nomen faustum fœlixque sit, hunc librum compositũ de Ecclesia Israelica, sicque exponam eum tertio loco, ratione allegoriæ, quæ in verbis amicis latet. Præterea obseruatu dignum est, nomẽ *Salomonis* toto hoc libro dici de Salomone Rege. Quia autẽ in hoc libro plurima sunt vocabula difficilia, ea ini tiò cœpi exponere, posteà verò sensus mysticos & quicquid illis significatur, persequar.

Cælestis, vel de constellationibus, & syderibus. nam vox ambigua.

2 *Osculetur me.* Osculandi verbum constructum (vt hoc loco) sine ל, significat admouere ori osculum, exempli causa וישקהו & osculatus est eum, at cum ל, manui vel humero vel malis pro varia gentium & populorũ consuetudine, vt ושקה לי oscula re mihi (manum scilicet aut humerum) וישק לו osculatúsque ei est (manũ sup.) & sic Iacob וישק לרחל osculatus est Racheli (ma nũ aut, &c.) *Amores tui.* Amores tui plus exhilarãt quàm vinũ: Haggaon nomine Hebræo דודיך existimat significari hũmorem

Gen. 33.

Prou.7. amoribus. saliualem, qui sub lingua est, adducens probationem ex versiculo, Age inebriemur דודים saliuâ ad mane vsque.

3 *Ad odorem vnguentorum tuorum.* Id est, si credimus nonnullis interpretibus, narium tuarum. Equidem huiusmodi interpretes propemodum dixerim nunquam vnguento delibutos, aut cogitasse Salomonem locutum de oleo oliuarum. *Effusum.* Hebræum תורק plerique aiunt nomen esse loci, cùm tamen rectiùs sit epithetum olei, hoc sensu, nomen tuum est sicut oleum quod יורק effunditur, cuiúsque odor eximiè fragrat. Nec verò mireris nomen שמן, vnguentum, hîc esse fœminini generis. Ita enim sæpe inuenies nomina עמל labor, בית domus, מקום locus & similia modò masculinè, modò fœmininè accipi. Puellæ, עלמות sunt paruæ puellæ.

4 *Commemorabimus.* Hebræum נזכירה nõnulli exponunt odorabimus, ex אזכרתה ליוו odor eius domino. Leu.6. Et זכרו odor eius sicut vinum Libani. Os.14. *Rectitudinibus.* מישרים includit affectionem vini, vt, ne aspicias vinum cùm ambulat in rectitudinibus, (rectà & generosè.) Item, ambulat ad amicũ meum in rectitudinibus. Porrò ἀπὸ τοῦ κοινοῦ è superiore membro repetenda est præpositio (præ) vt hæc efficiatur sententia, præ re-

Prou.23. Cant.7. Generosum vinũ.

ctitudinibus, aut magis quàm rectitudines dilexerunt te puellæ, quas iam diximus. Similē eclipsim habes cap. 6. Exodi. Apparui Abrahamo, Isaaco & Iacobo in Deo omnipotēte & nomine meo Adonai, pro in nomine meo Adonai aliáq; id gen⁹. Alij rectitudinē accipiūt pro ęquitate: ęquitates dilexerūt te. vt, Indicans מישרים rectitudines seu æquitatē. Prior interpretatio mihi magis placet.

5 *Nigra sum.* Nonnullorum sententia pulchra & elegās, sic in Numeris, mulier Æthiopissa, vt cùm mater filiam, cuius pulchritudini metuit, néve eam oculus nequā comprimat, Æthiopissam seu nigrā vocitat. Cæterùm nihil nobis hac expositione opus est, neque illud significatur dictione aut Æthiopissæ aut nigræ. Testificatur enim animæ suæ apud se loquens, ne se despiciant quòd subnigra sit. *Sed speciosa.* Heb. נאוה. q. optata & expetita, ab אוה concupiuit. Nun autem est Symbolum coniug. niphal vt his locis, omne נעשה, quod fit in sartagine, &, non est lapis נראה spectatus. Num.12.

6 *Subnigra*. שחרחורת propter reduplicationē diminutiuū est, vt ירקרק subuiridis אדמדם subruffus. *Aspexit me*. Vidit atque intuitus est me & detexit, sic in Iob, nō aspexit eum oculus noctuæ, שזפתן. *Excanduerunt in me.*

Hebr. נחרו בי pugnarunt in me, in eo autem Nun est characteristicon coniugat. Niphal, à themate ויחר & pugnauit seu exarsit ira eius. *Custodem.* נוטרה est nomen adiectiuum sonans custodem.

7 *Quem diligit anima mea,* vocandi particula suppressa est, hoc sensu, indica mihi ô tu quem deperit anima mea, seu quem ardeo. *Quomodo pascis oues. Quomodo stabulas eas.* Hîc sunt qui vocem Hebræam איכה existi-

Iob.19. ment loci interrogatiuã esse vt איכה הם vbi sunt? *Quare enim.* Heb. שלמה, posito ש pro אשר quia. Sicut עוטיה mixta, est enim partici-

1.Sa.14. cipiũ actiuum sumptum è Samuële ויעט & immiscuit se populus ad spolia. Non desunt qui exponãt, sicut inuoluẽs se, sed id alienius est. Alij, sicut increpita, ex alio Samuëlis lo-

Ibid.15. co ויעט בהם inuectus est in eos.

8 *In vestigiis ouium.* עקבי accipitur vt Ps. 77. עקבו תיך vestigia tua cognita sunt. Sunt enim indicia eius, qui plãtam imprimit, & deinde incedit. *Hædos tuos,* quoduis animal, si modò paruum sit, appellatur גדי, vt constat ex adiunctis, גדי עזים. Hædus capra rum, & id genus.

Aliis equitatui. 9 *Equæ.* In Hebræa voce לסוסתי jód vacat, quod alibi accidit. vt, apud Hoseam אהבתי diligens triturare. *Murænulis.* תורים figuræ

ſunt præ ſe ferentes turturũ ſpeciem.

10 חרוזים autẽ lapilli precioſi inter ſe colligati, alibi autem hæc vox in tota ſcriptura non occurrit, niſi, vt nõnullis placet, וארזים Melius ligna cedrina.
& monilia in negotiatione tua, apud Ezec. 27 huic ſit ſimile, cõmutato ה in א. hoc verò abſurdũ eſt, quoniam non niſi literæ יהוא apud linguam ſanctam permutabiles ſunt.

11 *Cum punctis argenti.* Nempe vt in figuris muræulatum puncta argẽti, quod candidum eſt, inſint.

12 *In accubitu ſuo*, loco velut eleuato & honeſto, vt, In accubitibus Ieruſalem: quã- 4.Reg.23.
quam opinor ſignificari potius locum, vbi eſt rotunda accubatio potandi cauſa, qualis eſt epulantium conſuetudo. *Nardus mea.* aroma ſimile croco.

13 *Faſciculus myrrhæ.* צרור res eſt colligata, à radice וצרת & lig abis argentum in manu Deut.14.
tua. Aliis eſt fragmẽtũ, ſed alieniùs. מור au- Exod.30.
tẽ muſcus, vt in Exodo מור דרור myrrha ſeu muſcus liber & purus. Quod etiam ab- Cant.5.
ſurdum eſt. Nam paulò pòſt legitur, Meſſui מורי, id eſt, myrrham meam, quod non niſi accipi poteſt de aromatica ſpecie, genere quodam germinum, quæ carpũtur. Prætereà legitur, Manus meæ ſtillãt myrrham, myrrha igitur ſtillat, quod non conuenit

musco. Quibusdam מור seu myrrha in duplici significatione vsurpatur.

14 *Botrus cypri*. quidam per copher intelligunt dactylum. Probabilius est vt idem, quod vernaculè & lingua Ismaëlica sonet. refert enim botrum. En gadi locus in terra Israëlis, vbi frequens est botrus capparis.

15 *Oculi tui columbini*. sicut oculi columbarum, quæ cum nullo altero, quàm cum pari iunguntur.

16 *Floridus*, רעננה id significat, vt arbor רענן .i. florida seu viridis.

17 *Tigna nostra*. רהיט ita explicari debet è commentariis doctorum nostrorum. *Abietes*, ברותים non alibi inuenias in tota scriptura: sunt qui scribant significare ברושים abietes. Præterea non desunt qui tradant רהיטנו (quod explicauimus tigna nostra) sumi, vt in Genesi ברהטים in canalibus, in aquæ ductibus, atque ita ברותים erunt veluti lapides marmorei.

INTERPRETATIO
altera historiæ seu dramatis.

1 APud omnes nō eadem est in re amatoria consuetudo, aliis aliud spectātibus. Hîc autem hypothesis est. Puella parua

ua admodum,cui nondum extabant vbera, custos vineæ,contemplata Pastorem transeuntem, ipsum deperire & deinde amore sui sauciare cœpit.

2 *Osculetur me.* verba puellæ, quæ secum veluti colloquitur,& tota in eo est,vt à sponso frequenter repetita oscula recipiat. Non enim vno aut altero satiatur. Deinde quasi persensisset pastor,pedem,collocutura cum eo,refert. *Quia meliores sunt amores tui*. Magis quàm vinum inebriant, & exhilarant amores tui, aut saliua tua, iuxta interpretationẽ R.Saadiæ Haggaonis.

3 *Ad odorem vnguentorum tuorum*, ab vnguentis enim, etiam procul dissitis, manat odor fragrantissimus. Porrò coram ea, quæ recordatur nominis tui,veluti odor myrrhæ efflat, proptereàque, *Puellæ dilexerunt te.* Si igitur vnguenta tua procul posita tanti sunt precij,quantò magis oris tui oscula.

4 *Trahe me*,singulæ puellæ quæ dilexerũt te,*Trahe me*,inquiunt,post te curremus. *Introduxit me rex in conclauia sua*, magis te delectamur,quàm quia induxit me rex in cõclauia sua.

5 *Nigra sum*,quia puellæ dicebant, *Trahe me*,conuertit se ad eas sponsa & ait, Nulla re sum vobis inferior. Etsi enim in me parum

nigroris infit,instar tētoriorum Cedaris,quę perpetuo Soli opposita sunt. Pulchra ta mē sum,sicut Salomonis tabernacula.

6 *Ne despicite me*,ne inspicite néve intueamini me ignominiosis & despicabilibus oculis,is enim nigror(quo suffusa sum) mihi innatus non est,sed accidens, quod remoueri facilè possit.Causa huius accidētis est, quòd indignati fratres mei constituerint me custodem vinearum, cùm tamen antea ne vineam quidem meam seruarem. Deinde ad pastorem conuersa

7 *Indica mihi,quo loco pascas & recubare facias*.Nā rursum pascere cupio & te insequi.

8. Cui ille, sequere vestigia o1ium & paruulos hœdos pasce,vt & paruula es,supra tabernacula pastorū.Nā illic est locus meus.

9 *Equæ meæ* סוסה est fœmineū equi.*In curribus Pharaonis*. curruum alius est ligneus, alius est ferreus.Inter puellas,inquit,quę dilexerūt te, similis es equæ inter currū. Cōparat peplum, quo figurato mala eius tegitur, fræno ad similitudinem turturum delineato, quod adhibetur equorum maxillis. Monilia aurea, quæ alligantur, respondent chamis, quibus vinciuntur equorum colla. Nec verò, inquit, decet vt murenulæ tuæ aliud sint,quàm aureæ cū punctis argenteis.

12 Reſpondet ipſa & ait, etiam ſi odor meus fragrat & Rex quoque, cùm eſt in accubitu ſuo, expetit nardũ meám olfacere,

13 Tamen multò ſuauior & fragrantior eſt odoratus Dilecti mei. Eſt enim myrrhæ faſciculus, vt eum concupiam pernoctare inter vbera mea, & cogitem amplecti vt botrum cappareum.

15 *Ecce tu*, verba Sponſi ſpeciem Sponſæ commendantis.

16 Cui Sponſa, en pulcher Dilecte mi, cui habeo in vrbe lectum viridem & domum egregiam. hoc enim ſignificat quod ſequitur,

17 *Trabes ædium noſtrarum Cedrinæ.*

TERTIA INTERPRETATIO, *nempe allegorica & myſtica.*

1 NOn eſt quidẽ expoſitio allegorica eâ præſtantior, quã attulerũt Doctores noſtri, ſed tamen quia video primæ claſſis homines ad illã adieciſſe & detraxiſſe plurima, etiam ipſe inſiſtam eorum veſtigiis, atque hinc ordiar. Nomen Salomonis vbique dicit Salomonem Regem, præter, *Mille tibi Salomon*, illic enim ſic vocatur CHRISTVS, quod ſit filius eius, vti nominatur Infr. 8.

Ier. 30. apud alium vatem, Dauid, his verbis, Et
Psal. 90. Dauid seruus meus princeps eorum. atque appellantur eam ob causam filij Israelis, seruus meus Iacob, quem elegi, &c. Huic simile esse potest, Oratio Mosi viro Dei, ex sententia R. Saadiæ Gaonis, qui putat orationem illam conditam à Dauide & decantatam à filiis Mosis. Quanquam rectiùs Psalmus ille dicitur esse Mosis. Porrò scito *In filiabus Ierusalem*, hærere multos. Nam si Ecclesia Israelica loquitur, quænam hę sunt filiæ Ierusalem? sunt qui respondeant duas

Ecclesia duplex. esse Ecclesias, vnam in cœlis, alterã in imis terris superiori oppositam, vt filiæ Ierusalem significent Angelos cælestes. Alij tradunt designari exteras nationes, in eámque

Ezech. sententiam legi, Et dabo eos tibi in filias. Mihi videtur allegoriam esse mulieris colloquẽtis cum sua ipsius anima, & verba sua ad ipsam referẽtis, atque veluti cõgredientis cum cogitationibus suis, id est, filiabus Ierusalem. Quoniam autẽ testificatur contextus scripturæ Dominum Salomoni bis apparuisse, quid eum mirum est vaticinatum de re futura, cũ præsertim afflatu Spiritus sancti hũc librum fuderit. Sic inuenias Asaphum cãtorem atque Hemanem composuisse Cantica eiusdem Spiritus numine,

appellatósque esse & Prophetas & Vidētes, ac rationi consentaneū est, non posse quenquam, nisi sit vafer & peruersus, mētiri, sed iam interpretationem aggredior, vt ingenij mei modulus feret, ac primùm totis viribus Deum oro, cui consilia mea sunt planè cognita, vt ad sapientiam inducat grauitatem tarditatémque meam, mihíque præsto paratúsque sit.

2 *Osculetur me.* Orditur ab Abrahamo, qui fuit radix & primus author generis. Oscula oris sunt lex & præcepta, vt scriptum est, propterea quòd audiuit Abraham voci meę & seruauit custodiam meam, præcepta, statuta, & leges meas, &c. Nec mireris, quòd dixerit, *Osculetur me*, de re præterita, is enim est scripturæ mos. Tunc canet Moses, cecinit. facient vitulum in Horeb, fecerunt & contrà, Deus venerūt gentes, venient, multáque similia. *Quia meliores sunt amores tui vino.* Diligentes te, quemadmodum testatur scriptura de Dilectione eius, semen Abrahæ diligentis me. est enim discrimen inter diligentem me & dilectum meum.

Abraham.

Exod.16.

Psal.

Esa.41.

3 *In odorem.* Docebat (Abraham) opera immensi Dei, instituebátque homines suæ ætatis, & quocunque proficiscebatur, ibi inuocabat nomen Domini. Hinc illud, *Vn-*

guentum effusum nomẽ tuum. *Propterea puellæ. Alamoth* sunt adolescẽtulæ, quæ carent viro. Sic viros, qui carebant Deo, induxit
Gen.12. in confessionem vnitatis Dei. vt significatur loco Genes. Et animas, quas fecerant in Haran.

4 *Trahe me*. attractus enim est ad Deum, exiitque de terra cognationis suę. *Introduxit me Rex*. Introduxit enim eum in terrã Chanaan. Præterea consentaneum est, quòd ipsum sapientem fecerit, adeo vt in rerum occultarum mysteriis perstaret. *Odorabimus amores tuos*. innuit altare omnibus in stationibus ædificatum & plantationem Luci in Bersabea.

Captiuitas Ægyptiaca. 5 *Nigra sum*. attingit seruitutem Ægyptiacam. Etiam si nigra sum nõnullis meis operibus, tamen venusta sum obseruatione fœderis & vnitatis Dei.

6 *Ne despicite me*. Sol adumbrat exilium Ægyptiacum, quis verò causam præbuit vt percuteret me Sol? homines matre mea orti, qui constituerunt me custodem, vt leges extraneas mea relicta seruarẽ. Hoc ex-
Ezech.20. plicatum reperies apud Ezechielẽ, vbi eos admonet resipiscentiæ, quòd nonnulli eorum colerent Idola, & ait, vt effundam furorem mentis super eos & perficiam iram

meã in eis in medio terræ Ægyptiacæ,&c.
7 *Indica mihi.* Pœnitentia enim conuersi sunt percontantes, Quo pacto pascebāt Patres, vt complectamur vias eorum, nec immisceamur diis alienis, quos tut similes esse prædicant. is est sensus ꝑ ad *greges sociorum tuorum.*

8 *Si nescis.* Hæc & similia respondebat vates, qui illis in Ægypto vaticinabatur, quẽque nõnulli Aaronem fuisse dicunt, dicente Scriptura, Mitte quęso per manũ (quem) mittis, mitte quæso per manũ illius, quem quouis tempore mittere soles. *Hædos tuos.* paruulos fide, quibus non est cognitio idonea. Exod. 4.

9 *Equæ.* Incipit Propheta Israëlitas alloqui ex Dei omnipotentis oraculo, Equæ in curribus. Item pulchræ sunt genæ tuæ murænulis, hoc sensu. Egredieris ex Ægypto onusta vasis argenteis & aureis atque vestibus. Vocatio synagogæ.

12 *Cui* Ecclesia Israëlica, *Interea dum Rex in accubitu suo*, cùm deducebat me ad Dei mõtem, tunc suum nardus mea spirauit odorem, nempe fumum incensi. *Inter vbera mea pernoctabit*, inter Cherubim aut etiam in medio castrorum Israëlis.

14 *Botrus cypri.* Hæc allegoria de diuina

maiestate debet intelligi, quæ superiorem Ecclesiæ sermonem intercipiēs, quia id cogitasti, inquit, pulchra es, vbi Ecclesia, adhuc consternam lectum, nempe ædem, cùm me introduxeris in terrã Israëli promissam.

COMMENTARIVS INNOminati cuiusdam.

3.Reg.4. CAnticum Canticorum, hoc est, excellentissimum omnium Canticorum, quæ cõfecit Salomon. Scriptum enim, Et locutus est Salomon mille parabolas & Cantica quinque & mille. Istud autem omnium fuit præstantissimum. *Quod Salomoni*. q.d. quod confecit Salomon Rex. Obserua verò Salomonis nomen, quod nominatim extat toto hoc libello esse profanum (nec Deum cõnotare). Et quidem illud, Fecit sibi Salo-
Infra cap.3. mon Rex, quemadmodum suo loco exponam. *Osculetur me osculis oris sui*. Audite, quæso, & pax sit rebus. Non spectabat Salomon ad res Venereas & amores vxorios. Sed amor summi opificis erga Israëlem est amori dilecti erga dilectam similis. Nam non habes amorem isto vehementiorem, vt declarauit Dauid de Ionathan, mirabilis est dilectio tua mihi præ dilectione mulie-

rum. Totus autem liber loquitur vſurpata ſimilitudine, vel potius parabola Dilecti & Dilectæ, quẽadmodũ & Ezechiel, ואעבור & trãſibo ſuper te & cernam te, & ecce tempus tuum tempus vberum (amorum) & expandã fimbrias meas ſuper te & tegã nuditatẽ tuam, &c. & induam te phrygionico, & calceus tuus, &c. & adornabo te ornamento, & imponam armillas manibus tuis & torquem collo tuo, &c. Nam illis in metaphoris multùm perſeuerat. Ac ſic quidẽ loquitur hoc loco, quæ gerit ſpeciem dilectæ, Eccleſia Iſraëlica. Quis perficiet, vt oſculetur me dilectus meus oſculis oris ſui. Nam meliores ſunt amores eius vino, Lætitia nẽpe nulla omnino celebrior eſt quàm epularis, & in epulo vinũ præcipuam conciliat voluptatem. Et proinde nominat vinum, atque tãgit præſentiam mutuam. De abſentia autem Sponſi ſequitur.

3 *In odorem vnguentorum tuorum*, talis metaphora qualis in Eccleſ. melius eſt nomen, quàm vnguentum bonum. Nam præclara exiſtimatio & fama ſimilis eſt vnguẽto ſuaui. Cùm ergo ait, *Vnguẽtorum tuorum*, perinde eſt atque ſi diceret, famæ tuæ præclaræ. Eccleſ. 7.

Vnguentum effuſum nomen tuum שמן, vnguẽtum, maſculini eſt generis. חורק autem

(effuſum)eſt adiectiuũ ſiue epithetũ, ad formam חושב incola, etiã ſi hoc ſignetur holem, iſtud ſcurec. Ita cenſuit R. Dauid Kimhi fauſtæ recordationis. Sententia autẽ huius ſcripturæ talis eſt. Propter odorẽ famæ tuæ præclaræ (Exiſtimatio enim & nominis celebritas conſimilis eſt vnguento effuſo) propter odorem inquam famæ tuæ, adoleſcentulæ & virgines dilexerunt te, ac vna earum quæque tibi inquit, *Trahe me poſt te*, & omnes nos *curremus poſt te*. Vnaquæque etiam earum dicit, quod ſequitur. Etiam ſi *introduxerit me Rex in conclauia ſua*, plus tamen, *Exultabimus & lætabimur in te* ſi ſimul verſemur, & *commemorabimus amores tuos*, qui meliores vino exiſtunt.

4 *Commemorabimus*. נזכירה odorabimus, olfaciemus. vt אזכירתה odor. q. d. odorabimus odorem tuum ſuauem. *In rectitudinibus dilexerunt te*. ait dilecta dilecto ſuo Sponſo, amore rectitudinũ, abſque fuco & fraude, dilexerunt te virgines.

5 *Nigra ſum*. Dilecta laudat ſeſe apud filias

אתקטט l ego non Hieruſalem ſocias ſuas, atque ait. Quamuis ego videar vobis nigra admodum, ipſa tamen ſpecioſa ſum: ſiquidem me exornem.

אתקשש me inquiram. Quamuis ego appaream velut tabernacula Cedarenorum, quæ atrore perfuſa ſunt, ſi

velim tamẽ, me pulchram efficiam, méque candore afficiam instar Salomonis cortinarum, quæ sunt candidæ.

6 *Subnigra*, nigra sum & non nigra. vocabulum enim Heb. שחרחרת hoc significat. *Quia conspexit me Sol.* vox Hebræa exponẽda, vt in Iob, & nõ שזפתנו cõspexit eum oculus picę, de significatione, prospectus, & visionis. Et exarserunt in me. נחרו rixati, altercati sunt mecum incendendo contentionẽ. Totius versiculi sensus est. Ne spectetis me, neque despicemini, quòd sim nigricãs, dum percussit me Sol, méque nigrore tinxit. Nã filij matris meæ, id est, fratres mei incensi sunt rixa & contentione aduersum me, & posuerunt me custodem vinearum, etiamsi huiusmodi custodię non essem assueta: cùm præsertim ne meam quidem vineam vnquã seruauerim.

7 *Indica mihi*, in votis habeo id vnum, vt sciã † quo modo pascas oues tuas, loquitur autẽ metaphoricè atque si dilectus esset pastor, & dilecta pastrix. *Et quomodo stabules in meridie* oues tuas, in æstu & vehemẽtia diei. *Nam quare ero velut errans, & circuens iuxta greges sociorum tuorum*, & laborabo fatigabórque inueniendo te, שַׁלְמָה quasi שֹׁלֹמֹה nam cur, cui par est עַד שַׁקַּמְתִּי donec sur-

† Vbi.

I. v. d5.

gerem. *Errans.* עוטיה de significatione circumeundi, vt ועוטך עטה

Esa. 22. 8 *Si nescis tibi ô pulcherrima mulierum*, vbi ego pascam, *Egredere tibi & incede in vestigiis ouium & pasce agnos tuos*, & inuenies me, *super habitacula pastorum*. q. d. Tabernaculum meum stat superius sublimiúsque vniuersis tabernaculis pastorum. Comparat autem dilectá pastrici, quæ pascit agniculos: quòd soleant mulieres pascere paruos agnos, qui non opus habent labore & fatigatione.

9 *Equitatui meo in curribus Pharaonis.* לסוסתי. equę, iod enim vocis illius superfluit. Sic autem dilectus alloquitur dilectam, ô socia mea ego assimulaui te equæ præstanti, quæ trahit currus Pharaonis. Ac apud me dixi.

10 *Quàm decoræ sunt genæ tuæ in murænulis*, nulla est tibi similis, תורים debent exponi pro sententiæ exigentia, vt sint tintinnabula annexa frænis equinis nouorum equitum. *Et collum tuum*, est decorum monilibus, lapillis preciosis coruscantibus.

11 *Murænulas aureas faciemus tibi.* q. d. propterea quod vidi hæc te decere, dixi me ea tibi confecturum ex auro: in auro autem ipso spargentur punctula argentea.

12 *Vsquequo Rex in accubitu suo.* hæc ait dilecta se ipsam laudās & dicēs, Nardus meus

misit odorem suum. Vsque adeo autem vehemẽs est odor nardi mei, vt peruenerit ad Regem, qui sedet in suo accubitu vna cum sociis suis. 13. quãuis odor dilecti mei sit vehementior, quòd sit similis fasciculo myrrhæ, cuius odor maior est nardi odore. Ecquis verò perficiet, vt inter mea vbera pernoctet dilectus meus?

14 *Botrus cypri dilectus meus mihi. Copher* vocatur vernaculé Serihho, & suauiter fragrat. *In vineis Engaddi.* Nam ista cyparis crescit in vineis Engaddi, quo nomine vocatur vrbs Sippori.

15 *Ecce tu pulchra amica mea.* Redit dilectus ad laudationem ipsius. *Oculi tui columbini,* oculi tui similes sunt oculis columbarum, quę nõ conuertunt oculos, nisi ad suos cõiuges. Sic tu nõ nisi cõiicis oculos tuos in me.

16 *Ecce tu pulcher.* Reuertitur dilecta ad laudandum dilectum. *Etiam lectus noster virens,* etiam decet vt lectus noster sit vernans, vt ambo pariter oblectemus nos vno in cubili. 17. Sunt autem *trabes ædium nostrarum cedri & contignationes domus nostræ abietes,* ברותים per ת vt ברושים per ש, abietes.

E*Go rosa Saronitidis.*חבצלת, *habatseleth*, est rosa. *Lilium vallium*, quod pulchrius est lilio in mõtibus crescente. perpetuo enim humidum & viride est, nam illic vis Solis non admodum viget.

2 *Vt lilium inter spinas*, spinæ hoc floris genus transfigunt, ipso interea durante in pulchritudine & vigore suo. *Sic amica mea inter filias*, quæ eã, vt se sequatur, & similiter post Deos alienos scortetur, pelliciunt, atqui ipsa perstat in fide sua.

3 *Qualis est malus*, arbor pomifera cùm est inter arbores steriles, cæteris omnibus est gratior. fructus enim eius & gustu & odore suauis est, *Talis Dilectus meus inter filios*, inter iuuenes. Allegoria sic habet. Deus Opt. Max. supra cũctos Deos eximius est, proinde vmbram eius expetiui, in eàque consedi. In Midras agadá, ab hac malo omnes refugiunt, quòd vix faciat vmbram. Similiter reliqui omnes populi à Deo in legis suę promulgatione aufugerunt, ego verò summo desiderio in vmbra eius sedi.

4 *Ad domum vini.* ad tabernaculum conuentus. Ibi enim speciatim præcepta multa

legis cum suis explicationibus tradita sunt. *Et vexillum eius super me charitas*. congregatio eius, qua veluti ad vexillum attraxit me ad sese, amor est super me. Recordor adhuc amoris & vexilli eius. *attraict*, vernaculè.

5 *Fulcite me*. vt infirmam & imbecillam, *lagænis*, cadis vinaceis & modiis similæ purissimæ. *Consternite me*. consternite pauimentum circum me malis, odoris causa, vt fieri solet ægrotis, *siquidem ægra* sum amore eius. Illum enim hic in exilio meo sitio. רפידה *rephidá*, qua voce vtitur Salomon, sonat sternere, vt in Iob, רפד *raphad*, strauit lectum suum super luto.

6 *Sinistra eius subter caput meum*. in deserto. *Et dextra eius amplectitur me*. cũ itinere tridui cõtendit ad explorandam illis requiem, & in quieto loco demisit manna atque coturnicem. Horum omnium recordor nunc in exilio meo, ægra illius dilectione.

7 *Adiuro vos filiæ*, ô vos populi. *Per capreas & ceruas*. omnibus enim obiicimini & prædę estis velut capreæ & ceruæ. *Ne excitetis amorem*, qui mihi cum ea intercedit mutando aut inuertendo illum, atque quærendo pellicere me post vos. *Donec placeat*, quãdiu ipsa in corde meo defixa est, mihíque est desiderio. *Donec placeat*, quandiu placebit, vt

ſuprà,donec rex in accubitu ſuo, interea dū
rex in accubitu ſuo. *Ne excitetis.* Hebræa ali-
2.Sam.28. ter explicari poſſunt, vt ſit אם תעירן *im tahi-ru*, ne odio proſequamini amorem. Veluti in Samuële, fuit עריך *harecha* inimicus tuus,
Dan.3. & in Daniele, interpretatio לערך *leharach* in inimicum tuum. *Et ne euigilare faciatis*, Heb. אם תעורת *im tehoreru* ſumi poteſt, vt alio loco, תעורר על שרה *tehorer al ſade.* inclinat ſuper agrum, *cliner* vernaculè. Extant quidē in Midras agadá allegoriæ plurimæ, verùm non ſatis accommodatæ ad verborum ſeriem. vaticinatur enim, mea quidē ſententia, Salomon & loquitur de egreſſu ex Ægy pto, déque legis promulgatione, tabernaculo, ingreſſu in terram Iſraëlicam, æde altera, atque eius excidio.

8 *Vox dilecti mei*, ad inceptum reuertitur cantor noſter, veluti is qui ſuppreſſis primis rem ab origine repetit. Equidem, inquit, vo bis rei principiū non expreſſi. cœperat enim dicere, induxit me rex in conclauia ſua, neq; tamen commemorat, quo pacto viſitaſſet ſe in Ægypto, quámque amanter & beneuolè. Iam ergo rem altius referens ait. Illecebra hæc, qua à dilecto tracta, vti dixi, poſt illum cucurri, ſic contigit: deſperabam de re[illegible]demptione, moleſtè ferens nōdum expleri quadringentos

dringentos illos annos, qui in Abrahamicá Gen.15.
iuuencæ trimulæ partitione declarati sunt,
cùm vox Dilecti mei paulò ante terminum
meas aures vellicauit, veluti saliens super
montes, & saltitans per valles.
9 *Similis est dilectus meus capreæ.* celeritate
cursus, festinanter enim veniebat quasi ca-
prea & tanquam hinnulus ceruorum. Hin-
nulus cerui egregij. *Ecce hic stat.* cogitabam
me diu in viduitate victuram, cum iterum
stare se declarauit & prodire fecit è fenestris
cælestibus id, quod mihi contigit, videndo, Exod.3.
inquiens, vidi afflictionem populi mei.
10 *Respondit.* ענה *haná* significat respon-
dere & voce clara atque edita conclamare,
atque hæc * significatio est omniũ princeps, * Lego enim עניין hinijan non בנין binijan.
ויענו *Vehanú* & clamarunt Leuitæ. *Et dixit*
mihi, per Mosem *Surge tibi.* subducam te ex
iniquitatibus Ægyptiorum.
11 *Quia ecce hyems præteriit.* non iam labor
hyemis in via. hyems in Chaldæa Paraphrasi
passim appellatur סתוא *Setau.*
12 *Flores visi sunt in terra.* aduenerunt dies
Solares, quibus arbores quæque fundũtur è
terra, flores proferũt & suo aspectu viatores
impensè oblectant. *Tempus cantillationis ap-*
petiit, quo aues em ittũt cantũ, garritúmque
viatoribus dulcem. *Vox turturis.* תור. Tor,

enim in communi significatu debet accipi, vt תורים turtures & columbi. Solent autem aues mense Martio canere atque garrire.

13 *Ficus produxit grossos suos.* verba Hebræa hoc sonant. Gemmam. סמדר, *Semadar* appellatur vua; cùm flore excidente vuæ à se inuicem discernuntur & dignoscũtur. Porrò hæc tota sententia iuxta sensum literæ dilectionem persuasionis & illectamenta, quibus iuuenis sibi desponsatam pertrahere post se cupit, continet. Sic enim, erga me se

Allegoria. gessit Dilectus meus. Nam 10 *Respondit Dilectus meus*, ministerio Mosis. *Et dixit mihi* per Aaronem. *Surge tibi*, diligentem tete exhibe, singulique proximum suum rogẽt. 11 *Quia ecce hyems præteriit*, illos quadringentos annos præterire feci, ducto numerationis initio ab ortu Isaac. Pluuia, quæ est incommoditas hyemis, pertransiit & abiit sibi, hoc est, octoginta sex anni, qui acerbæ seruituti vestræ destinati erant, excesserunt. Ex quo nata est Maria auxerunt Ægyptij seruitutem Israëlis, vnde id ei nomen ab amarore fuit. 12 *Flores in terra visi sunt*, Moses & Aaron vobis præsto fuerunt ad

Exod.15. omnia necessaria. *Tempus cantillationis appetiit*, quo haberetis Canticum, iuxta mare.

* Gal. *le Tour.* *Et vox* התור *hattor*, ductoris magni, aut †tor-

dinis.appetiit enim tempus exitus vestri ab Ægypto veluti in orbem.

13 *Ficus produxit grossos suos.* appetiit ingressuris terram tempus offerẽdi primitias. *Et vites*, propinquauit tempus libandi vinum. Expositione alia significantur pij, qui inter vos protulerunt produxeruntque in conspectu meo bona opera & odorem suauem. *Surge tibi.* surge vt recipias decalogũ. Alia expositione per *Ficus produxit grossos suos*, intellige præuaricatores Israelitas, qui illo caliginoso triduo perierũt. *Vites* autem erunt illi qui superstites acta pœnitẽtia traditionibus Patrum imbuti sunt. Ita allegoria pertractata est in Pesikrá. Exod.10.

14 *Columba mea in rimis rupeis*, hoc pertinet ad illam horã, qua eos insequutus Pharao assequitur, cùm castra ad mare Rubrum metarẽtur, cùm nullus relictus esset fugiendi locus, aquis antè obstantibus, ponè feris bestiis. Tum scilicet similes erant columbæ, quæ fugiens à cõspectu accipitris rimas rupium subit, vbi eam serpens sibilat. Si interiùs se proripiat, serpẽtem metuit: si prodeat foras, alitẽ. Ostende mihi, inquit Dominus, faciem tuam, nimirum rectitudinem operum tuorum, in quem respicias afflictionis tempore. *Audire fac me vocem tuam*, de qua,

Exod.14. Clamarunt filij Iſraël ad Dominum. *In ri-*
Pſal.107. *mis.* חגוי *hhague* ſignificat Fiſſuras ſeu con-
n Feriabũ- fractiones [n] vt, יחוגו, *jahhoggu* confringen-
tur, alijs.Eſ. 19. tur & commouebuntur tanquam ebrius.
o Commo- Item, terra Iuda Ægyptiis erit לחגא *lehhog-*
tionem, *ga*, [o] in confractionem. Cùm autem forma-
alijs.2. Sam.10, tur vox pluralis, dicitur חגוי *hhague*, vt à קְצֵה,
qatſé קְצוי *qatſué*, & in Samuele, excidit
מדויהם *maduehem* veſtes eorum. *In latibulo*
gradus. מדרגה *madrega* cochlea, vernaculè
eſchallier, cùm ſit foſſa circum arces & pro-
pugnacula, effuſo in altum puluere ad at-
tollendum circumquaque aggerem & gra-
du vndique gradui ſubſtrato. *In latibulo gra-*
dus. Ibi enim ſæpe ſunt foramina, quæ tam
reptilia quàm volucres ſubeunt.

15 *Prehendite nobis vulpes, vulpeculas.* exau-
dita voce eorum Dominus indixit mari, vt
demergeret AEgyptios hac oratione. Pre-
hendite nobis vulpes tam minores quàm
maiores, quoniam vel paruæ demolieban-
tur vineas, interea dum vites noſtræ gem-
mis abundarent. Nam non niſi racemi erãt
tenues, cùm filia Iſraëlica pariebat marem
& recondebat, AEgyptiis in domos noſtro-
rum irrũpentibus, & maſculos, qui vix dum
annum aut biennium nati abditi erãt, quæ-
ritantibus. Cui rei & hanc technam adhi-

bebant. adductos infantes ex ædibus suis ad loquendum prouocabant & respondentem paruulum Israelicum è loco vbi abditus seruabatur, corripiebant demergebántque in fluuium. Vocat autē illos vulpes, quoniam quemadmodum vulpes conuerso vultu retrospicit vt fugiat: ita AEgyptij terga vertere cupiebant, dicente scriptura. Fugiam à conspectu filiorum Israel. Exod. 14. Aut שעלים *shualim* hic non vulpes, sed pugnos significabit, vt propterea scribatur absque vau, quippe vindictā de illis sumebat in aqua, quæ Dei pugno dimensa est.

16 *Dilectus meus mihi.* Ipse à me cuncta sibi necessaria requisiuit, nihil aliud præcipiens quàm quod legitur, celebrate Pascha, consecrate primogenita, ædificate tabernaculum, offerte holocausta, nec quicquàm aliud quæsiuit. *Et ego illi.* Omnia mihi necessaria ab eo quæsiui, non à diis alienis. *Qui pascit oues in liliis*, pascuo commodissimo, quieto, & specioso.

17 *Donec aspiret dies.* Hoc refertur ad proximè præcedentem versiculum, Dilectus meus, meus est, & ego illius ad tēpus vsque, quò excedendi causam præbuit iniquitas, quóque aspexit me Sol ardente die & æstu inualescente. *Et fugiant vmbræ*, peccauimus

in vitulo, peccauimus in exploratoribus. Et fugiant vmbræ innocentiæ, quæ nobis erat clypei loco. Rupi iugum eius. *Conuerte te similis esto dilecte mi*, causam illi dedi vt à me abriperetur ad montes disiunctissimos, *Bather* enim significat partitionem & diremptionem.

COMMENTARII ABBEN EZRÆ IN 2. CAP. CANT.

1 EGo rosa. חבצלת *Hhabatseleth*, quorumdam sententia rosam significat. Aliis est flos eximius odore fragrantissimo, specie nigricante, Lilium. שושנה *Susanna*, vt quibusdam placet, flos est cādidus, cuius odor suauis & interea calidissimus, adeò vt capiti officiat, quod est vero cōsentaneum, deducitur autem à שש *Shes*, sex, perpetuò enim sex sunt illi folia alba. Præterea in medio illi veluti ramus est, longa habens folia, eáque etiam sex. Sensus ergo est, labia mea rosæ sunt odore, non autem specie.

3 *Qualis est malus*, de genere arborum pomiferarum.

Num. 2. 4 *Vexillum eius super me amor.* דגל *déghel*, est vexillū, vt in Numeris. דגל *déghel* vexillum castrorum Iuda.

5 *Lagænis.* אשישות *Ashishot.* ſunt vaſa vitrea vino plena. *Cōſternite me.* רפדוני *Rappedúni,* nonnullorum quidem opinione, ponite in pauimēto mala, vt, רפידתו *rephidatho,* pauimentum eius aurum, ירפד *Ierapped.* inſtrabit aurum ſuper luto. hæc enim ſignificant conſternere. ſed quia id hoc loco eſt paulò alienius, ſenſum mutuo ex lingua Iſmaëlica, roborate me.

7 Per capreas. צבי, *tſebí,* caprea; pluralia duo habet, maſculinum, צבאים *Tſebáim* capreæ ſuper montes. fæm. צבאות *Tſebaóth.*

8 Saliens. מקבץ *Meqabbétſ,* ex Chaldæa Paraphraſi hoc ſignificare deprèhenditur: locus enim Leuitici; ad ſaliendum illis, trāſfertur Chald. לקבצא בהון *Laqabbetſá behon.*

9 *Hinnulo ceruorum.* ceruulo. *Poſt parietem noſtrum.* כותל *Cóthel,* parietem ſignificat, vt Ezræ 5. lignum poſitum eſt בכתלא *Bechotlatha* in parietibus, & ſic חרכים *haracķim* Chaldaïcè feneſtras, vnde locum illum ſcripturę, ex feneſtra, Chaldęus reddit מן חרכא *Min hharaccá,* ſimiliter סתו *Setau* hyemem. hinc fit vt Chaldaïca huius loci, æſtas & hyems, ſint æſtus & סיתוא *Sitau.*

10 *Pertrāſiit. Hebr.* חלף Hhalaph exciſa eſt, vt, Idola funditus יחלוף *Iahhaloph* excindet. Eſa. 2.

12 *Flores.* נצנים *Nitsanim* flores significant, vt ascendit נצן flos, nun autem posterius paragogicum est. *Cantillationis.* זמיר *Zamir* sic accipitur vt, זמיר cantillatio prædonum respondebit, significat scilicet, cantus auium. sunt etiam qui sumant pro putatione, vt in lege, vineam tuam לא תזמור *ló Tizmor*, non putabis. Sed putatio non hoc, quod describit, tempore, accidit. *Turturis.* תור *Tor* communi significatione accipitur ex plurali, תורים *Torim* turtures & columbi.

13 *Produxit.* חנטה *Hbaneta* dulces protulit. aut vt alij exponunt, instar pulueris procreauit, ex Genesi ויחנטו *Vaiahbantu* puluere aromatico condierunt medici, &c. *Grossos suos*, fructus adhuc immaturos. פגים *Pagghim*, enim hoc etiã significat lingua Ismaëlica. *Gemmam*, cum erumpit flos vineæ.

Gen.50.

14 In circuitibus rupis. חגוי *Hhagué* sumitur, vt in Iob, חוג *Hug* circinnatio terræ. Hæc enim vox significat sphæram & ambitum, qui terram cingit, etiam si habeat literas trãspositas, aut duo sunt themata eiusdẽ significationis. Gradus מדרגה *Madrega* significat gradum, vt & ceciderũt המדרגות *Hammadregoth* gradus, & ita Onkelos locũ illum vbi legitur, non ascendes gradus, reddit, non ascendes inquit, בדרגין *Bidraghin*,

In rimis.
Iob 22.
Eze.38.

per gradus. Eadem quoque graduum appellatio apud Iſmaëlitas. *Dulcis*, ערב *Hareb*, ſic explicatur, vt hoc loco, וערבה *Vehareba* & dulcis Domino, hoc eſt, bona & optata. Prou.3.
Optatus, expetendus oculis.

15 *Prehendite* אחזו *Ehezu* imperatiuus eſt, quaſi notatione Pſal. 31. אהבו diligite Dominum, & alibi שחדו, donate mihi. *Demolientes*, מחבלים *Mehhabbelim* perdentes, vt Ezech.5.
in Eccleſiaſte, וחבל *Vehhibbel*, & perdat op' Eccl.5.
manuum tuarum.

17 *Donec aſpiret dies*, ventus diei. *Montes Bather* montes partitionis, à themate ויבתר Separationis.
Vaiebbater, & diſpertitus eſt ea per medium. Gen.15.
q.d. vt ſeparetur à nobis ventus.

INTERPRETATIO
altera, nempe dramatis.

1 EGo. propterea equidem nũc ſum foris ſicut roſa Saronitidis, cùm tamen nemo ſit qui olfaciat.

2 *Vt lilium*. verba Sponſi, Non compararis flori vallis, qui facilè carpi poteſt, ſed roſæ quæ eſt inter ſpinas.

3 *Qualis malus*. verba Sponſæ, verſiculis his cohærentibus cum voce *deſideraui*. optaui ſedere in vmbra eius, & vt introducat me

in conclaue vini & ponat vexillum ſuum ſuper me,&loquatur in proſpectu omnium ac oſtendat amorem ſuum, admouens ſiniſtram ſuam capiti meo,& adiurans filias Ieruſalem, ne excitent me, quouſque peruenerit tempus deſiderati amoris. Hęc autem adiuratio ſumpta ex eo eſt, quòd deſideriũ
Prou.8. cõparetur capreæ, vt in Prouerbiis, Cerua amorum,& Caprea gratiæ, ob pulchritudinem, mundiciem,& nigrorem oculorum, veluti inquiens. Adiuro vos per veſtri ſimiles pulchritudine. Abſoluta hac ſectione, domum ſuam, vt his verbis intelligi poteſt, *Trabes domus noſtræ cedrinæ*, petit, ipſo eam conſequente, quo tempore foras procedimus oblectándi animi & flores ſpectandi gratia.

8 *Vox Dilecti mei.* ſignificat ſe ex præſtanti ſaltatione & celeritate deprehendere ſtrepitum pedum eius.

9 *Similis eſt Dilectus meus Capreæ* celeritate.

10 *Reſpondit Dilectus meus,& ait*, quæ tota hac ſectione conſequuntur.

14 *Præterea Columba mea*, inquit, *In rimis rupis.* Latitas domi, vt proſpectare te nequeam, ſicut Columba quæ in rimis petræ ſe condit. *Oſtende mihi vultum tuum.* è feneſtrarum vna, aut *Audire fac me vocem tuam*,

& indicato mihi quid agere debeam. Respondens Sponsa, ait puellis suis,
15 *Prehendite nobis vulpes*, hoc sensu, agite, custodite vineam à vulpeculis. Illic enim pernoctare volo cum Dilecto meo, qui pascit in liliis ductus suaui odore floris huius.
16 Tu verò, ô Dilecte mi, donec *Aspiret ventus diei* & crescant dies (hoc enim significat *Et fugiant vmbræ*) proficiscere ad mõtes Bather. Tacitè indicat Sponsa iam non posse se egredi foras, vt inde intelligamus Sponsum iter suum continuasse, quemadmodum & præmonuerat. Hactenus sectio.

EXPLICATIO
tertia, quæ allegorica.

1 PRopterea, inquit Sponsa, nunc rosæ similis sum, quæ est in Saronitide, loco plano & campestri, quam quilibet carpit. Item vt lilium, quod calcatur pedibus, pauco.
2 Hîc Deus, dabo operam ne malum te afflictet, vti lilio spinæ nihil afferũt incommodi. cui Ecclesia Israelica,
3 Si serues me, assidebo assiduè ad vmbram tuam. *Fructus eius*, cùm audio omnia præcepta tua.

4 *Domum vini.* ædem Domini, locum vbi libatur Domino. porrò lagænæ & mala adumbrant cantores. Solent enim verba Prophetica cõparari lacti & vino, vt sibi ædificauit domum ſapiens fœmina, miſcuit vinum ſuum & inſuper mala aurea.

Pro.8.

6 *Siniſtra eius ſubter caput meum.* holocauſtum veſpertinum & matutinum.

7 *Adiuro vos.* Illud eſt quod ſcripſerunt Doctores noſtri filios Ephraim egreſſos ex AEgypto antequam aduenisset præſtitutus annorum terminus, vt hoc τὸ *donec velit,* indicet. Occiſos autem eos, quòd ſcriptum ſit, luxit Ephraim pater eorum. *Per Capreas.* quemadmodum ſanguis Ephramidum permiſſus eſt fundi, ita ſanguis veſter fundetur, ſi quidem excitaueritis ante terminum.

8 *Vox Dilecti mei.* Id cùm apparuit Dominus in Sinaï factum eſt. *Saliens ſuper montes,* ſuper montem Sinaï.

Exod.3.

9 *E feneſtris.* è ſede habitationis ſuæ, proſpicit è feneſtris firmamenti, iuxta illud, videndo vidi afflictionem populi mei.

10 *Reſpondit Dilectus meus.* Dixit enim Iſraëlitis, ſubducam vos, &c.

11 *Quia ecce hyems præteriit*, allegoria de exilio. pluuia autem ſignificatur dies nubilus, videlicet anguſtia & afflictio, in qua

Nah.1.

erant. Simili metaphora dicitur dies nubis & caliginis.

12 *Flores*, sic appellantur qui inter Israëlitas iusti sunt. *Tempus cantillationis*. quo habeas Canticum. *Vox turturis*. Heb. תור, *Tor*, ordinem significat, gallicè *le tour*. quum aduenit, inquit, ordo Israëlitarum. Exod.15.

13 *Ficus produxit grossos suos*. in terra Israël, tempúsque est offerendi ex ea primitias. *Et vites*, vini libãdi gratiâ. Aut comparat eam ficui, quæ produxit grossos suos & viti, quæ in gemmis est, quia scriptum est, Tanquam racemos in deserto inueni Israëlitas, sicut primitias in primitiuis suis.

14 Vocat autem eam Columbam suam, propterea quòd exiit ab AEgypto, cùm verò ait, *In latibulo gradus*, significat Israëlitas absconditos fuisse in nubibus. *Ostende mihi vultum tuum*, id scilicet est, quod scribitur. Crediderunt in Dominum. *Audire fac me vocem tuam*. hoc etiam cõpletum. scriptum enim, Tum cecinit Moses & filij Israël. aut alluditur ad id quod profitebãtur Israëlitæ, faciemus & audiemus, quod est verisimilius. Exod.15.

15 *Prehendite nobis vulpes*. cultores vituli, qui perdiderũt vineam Domini, nẽpe Israëlitas, cùm vinea illa adhuc esset in flore.

16 *Dilectus meus mihi est & ego illius.* quia interfecti sunt cultores vituli, quique inquirebant in verba diuinæ maiestatis. *in liliis,* designantur iusti.

17 *Donec aspiret dies & fugiant vmbræ conuerte te.* proficiscere *Ad montes Bather.* Sententiam horum pertinere ad ista puto. Non ascendam, ait Dominus, in medium tui, Moses autem prehendet tentorium, ac ipsi extra castra tendet.

COMMENT. R. INNOMINATI.

1 E*Go lilium campi.* Dilecta glorians apud se, inquit, Ego similis sum lilio campi, qui flos crescit in planis locis & campestribus. Et rosæ, quæ nascitur in vallibus. Habaseleth vernacula lingua liliũ, Susanna autem rosa. Tamen R. Dauid Kimhi contra interpretatur.

2 *Sicut lilium*, dilectus dilectã affatur. Ne compares tete lilio camporum, & rosę conuallium, quæ simul magno numero illic pariuntur, sed tu consimilis es rosæ quæ inter spinas gignitur, quæ est singularis, nec habet parem pulchritudine & forma.

3 *Sicut malus inter ligna syluarum*. Iterũ hoc

dilecta pronunciat de dilecto. Cæterùm
narrat sociis suis & ait,
4 *Semel introduxit me* dilectus meus *in cellam vinariam*, ad conuiuiũ, & nos ipsos oblectauimus vnà. *Et vexillum eius super me dilectio* fuit, & hanc quidem dilectionem nunc recolo.
5 Sum autem infirma & animi deliquio consternor, at vos, obsecro, fulcite & roborate me cadis, amphorísve vini. Vinũ enim homines solet confirmare. Conficite etiam ante me pauimentum pomorũ, vt solet fieri ægrotantibus.
6 *Læua eius sub capite meo*, tunc (in illo conuiuio) fuit. Quam dilectionem ego dum recordor, planè ægra sum animo.
7 *Adiuro vos filiæ Hierusalem.* Dilecta affatur socias. Ego adiuro vos per vitam vestram, quæ estis similes capreis ceruísve cãporum. *Si excitetis*, id est, ne suscitetis, neque euigilare faciatis *dilectionem*, quæ inter nos ambos mutua existit. *Quoadusque velit* ipsa dilectio, vt euigilet ipsa dilectio per sese. Nã statim cùm memoria repeto huiusmodi amores, animi patior deliquium.
8 *Vox dilecti mei, ecce iste venit.* Hęc narrat sociis suis dilecta. Semel occupabar in meo negotio, & audiui vocem dilecti mei, qui

veniebat ad me saliens & cursitans.

9 Erat autem similis dilectus meus capreæ
curren̄ti, & ecce illum venientem post pa-
rietem nostrum & respicientem è fenestris,
vt me cerneret & prospicientem è cancellis.
משגיח & *Masghiah* & מציף *Metsiph* signifi-
cant intueri & prospicere חרכים *Haracchim*
autem & חלונות *Hallonoth*, ex Chaldęa Pa-
raphrasi idem quoque pollent, notántque fe
nestras.

10 *Et respondit dilectus meus & dixit mihi,*
surge tibi socia mea, & me comitare.

11 Quoniam hyems, siue bruma transiit
(hoc enim sonat סתיו *Setau*) & tempus plu-
uiæ præteriit, trasiliitque.

12 Et flores, atque germina arborum ap-
paruerunt in terra, & tempus cantillationis
appetiit, quo aues in aruis cantillant, & tur-
turum atque columbarum garritus auditus
est in terra.

13 Et ficus eduxit grossos suos & matura-
uit fructum suum immaturum. Et vineæ
produxerunt gemmas suas & reddiderunt
suauem odorem. Dixítque mihi, Surge tibi
socia mea, pulchra mea, & veni & comitare
me, & simul delectabimur in vineis & hor-
tis preciosis, vt principes solēt cū suis amasiis.

14 *Columba mea in fissuris petræ*, ô socia mea,
quæ

quæ consimilis est columbæ stanti in rimis cautium & in latebra graduum, ostẽde mihi vultum tuum & pulchritudinem tuam, & proficiscendo vnà oblectabimur intra ipsas vineas.

15 *Apprehendite nobis vulpes* Et ego, inquit Sponsa, cùm vidi Dilectum meum cupere mecum lætari in vineis, iussi & dixi seruis meis, Prehendite nobis vulpes illas, quæ labefactant vineas.

16 *Dilectus meus mihi.* Amatus meus stat prope me: nam nullòs amores habet pręter meos. Sed *& ego illi asto*, quoniam præter eum nullũ amo. *Qui pascit inter rosas:* perinde odorus est, & fragrat ipse atque si stetisset in medio rosarum.

17 *Donec aspiret dies* & flet vẽtus Aquilonaris, qui flabit deinceps post meridiẽ. *Et fugiãt vmbræ*. à sex horis & supra, quibus incipit occidere (dies vel Sol). Túmque egrediar post te. Neque enim tempestiuum est exire foras in ipso diei ęstu. Interea autẽ, *Reuertere, similis esto Dilecte mi.* q.d. Egreditor & fruere deliciis atque otio ad illam vsque horam. *Super montes Bather.* Montes hi erant noti in terra Israël, sícque appellabantur.

COMMENTARIVS R. Selomonis in 3. Cap. Cant.

1 *SVper lectum meum noctibus.* In afflictione mea cum sedi obscura totis triginta annis, quibus Israëlitæ corruptis erāt moribus, *Quæsiui eum, & non inueni.* Iuxta illud, Non sum in medio vestri, & non ascendam in medium tui.

2 *Surgam nunc & circuam.* orauit Moses. Item ascendit ad Dominum.

3 *Inuenerunt me custodes.* Moses & Aaron. *Quem diligit anima mea vidistis.* quid inuenistis in oraculis eius.

4 *Propemodum transieram ab illis.* prope eorum à me separationem sub finem quadraginta annôrum. *Cum inueni quem diligit anima mea.* Adfuit enim mihi temporibus Iosuæ in subiiciendis triginta vno Regibus. *Prehendi eum & non sinam eum.* Non missum eum feci quousque induxerim eum in tabernaculum Silo, ob ea omnia quæ mihi præstiterat.

Iosue.

5 *Adiuro vos* ô gentes dum inter vos exulo, *ne euigilare faciatis*, amorem Dilecti mei, quem de eo concepi, persuadendo aut ita seducendo, vt relinquam eum, & me ab eo auertam. *Donec cupiat*, quandiu dilectione me prosequetur.

6 *Quæ est ista ascendens ex deserto?* cùm ambularem per solitudines, columna ignea & nubes me præcederent atque interimerent angues & scorpiones, exurerẽt quoque spinas & tribulos vt mihi via plana muniretur, nubibus & exhalationibus in sublime conscendẽtibus, exteræ nationes, quæ hæc omnia spectabãt, & magnitudinem eorum mirabantur, *Quæ est ista*, inquiebant. quàm hæc insignis, quæ ascendit è deserto! *Tanquam palmæ fumi.* alta & sublimis, vt palma. *suffita myrrhâ.* alludit ad nubem suffitus, quę se erigebat in modum palmæ supra altare interius. *Institoris.* רוכל *Rochel*, est aromatarius, apud quem omnia vnguentorũ genera væneunt. Puluerem autem dicit, quia aromata tunduntur & conteruntur, vt in pulueris speciem comminuantur.

7 *Ecce lectus ipsius.* tabernaculum fœderis & arca, quæ in deserto gestabantur. *Sexaginta fortes sunt in circuitu eius.* sexaginta myriades circum illud sunt. *Ex fortibus Israëlis.* ex iis qui procedunt in prælium, præter minores viginti annis & maiores sexaginta. *Docti prælium*, prælium ipsius legis. Quales sunt sacerdotes, qui eam lustrant, castra metantes circum tabernaculum, edocti ordinem ministerij sui. *Cuiusque gladius super se-*

Traditio maiorum. *mur ſuum.* Inſtrumenta armorum eius ſunt Maſoreth & ſymbola illa, quæ in promptu conſtituunt, vt à pueris diſcantur, item ne Maſora obliuioni detur. *Ob timorem nocturnum.* ne fortè obliuiſcantur eius & ſuperueniāt eis afflictiones. Hinc Pſalmus, Oſculamini filium, ne forte iraſcatur & pereatis de via. Pſal. 2.

9 *Ferculum fecit ſibi.* tentorium fœderis, quod fixum erat in tabernaculo Siló. Fecit ergo ſibi ferculum, thalamum ſecretum ad gloriam.

10 *Stratum eius aureum.* lectus & tabernaculum eius ad propitiatorium quod erat aureum. *Operimentum eius purpureum.* Purpura enim ſuſpenſa inequitabat perticas è columna in columnam. *Interius eius ignitum,* diſpoſitum carbone dilectionis. Arca, propitiatorium & cherubi atque tabulæ. *De filiabus Ieruſalem.* Iſraëlitis Deum timentibus & integris. Cōſtratum, aliis.

11 *Filiæ Sion.* Filij, qui ei cōſignati ſunt circumciſione, phylacteriis & fimbriis. *Coronā, qua coronauit eum mater ſua.* tentorium fœderis, quod coronatum eſt hyacinthi & purpuræ coloribus, item vermiculo coccineo. R. Nehemias ſcribit quendam Rabbinum, Simeonem nomine, olim percontatum R.

Eleazarum filium R. Iosæ, num à patre intellexisset quæ esset sententia τῶ, *Qua coronauit eum mater sua.* Respondisse verò R. Eleazarum his verbis: Parabola est Regis, cui vnica est filia, quámque vnicè diligit & tanto affectu prosequitur, vt suam vocet filiam. quemadmodum dictum est. Audi filia & vide. Sæpe etiã inter oscula & amplexus sororem, vt scriptũ est, Aperi mi soror mea, amica mea, aliquãdo etiam eam matris dignetur nomine, vt in Esaia legitur, Attẽdite ad me popule mi, & mater mea auscultate me. Illic enim nõ לְאוּמִּי, *leummí*, ô gẽs mea, sed לְאִמִּי *leïmmí* mater mea scribitur. His, admoto capiti eius osculo, assentiri se significauit R. Simeon filius Iohaí. *In die sponsaliorum* suorum, die promulgatæ legis, quo sibi coronarunt eum Regem, iugo eius recepto. *In die lætitiæ cordis sui.* die octauo dedicationum, quo in deserto facta est tabernaculi Dedicatio.

Psal. 45.

Esa. 51. vt ל vacet, legitur tamen illic לְאֻמִּי Leümmi gens mea.

COMMENTARII R.
Abraham in 3. Cap. Cant.

6 T*Anquam palmæ*, tanquam columnæ, vt Ioëlis 3. sicut palmæ fumi. sunt qui dicãt similes esse palmę arbori. *Puluere* אבקת

abkath, vt alibi, puluis terræ pedum eius. *Institoris.* רוכל *rochel*, est negotiator, vt in Ezechiele. Isti sunt רוכליך *rochelaich* negotiatores tui.

Ierem. 31. 8 *Docti prælium*. exercitati in prælio, vt apud Ieremiam, sicut vitulus non doctus, i. non exercitatus.

9 *Ferculum.* Heb. אפריון *Apirion*, non habet simile in scriptura: itaque exponi debet è commoditate sententiæ pro æde egregia & sumptuosa.

10 *Stratum eius*, cameram eius. *Operimentum eius*, peristroma seu aulæum, quod intrinsecus tegit trabes. sic enim ornari solent Regum palatia. *Constratum*. Heb. רצוף *Ratsuph* dupliciter accipi potest. primò nonnullorum quidem sententia ex libro Esteræ, Est. 1. רצפת *Ritspath* pauimentum smaragdi & marmoris, vocabulo significante lapidum in pauimento constrationem. Deinde ex aliorum opinione ignitum, incensum, ex loco Esaiæ, in manu eius רצפה *ritspá*, carbo Esa. 6. ignitus, quod mihi admodum placet, vt suo loco declaraturus sum.

INTERPRETATIO
Fabulæ siue Dramatis.

1 HÆc videbat in somnio . vnde ait *su-
per lectum meum noctibus.* Quæsiit
enim Dilectum suum, quousque eum nacta
sit & induxerit in domum matris suæ, adiu-
rans filias Sionias, ne eum excitēt. cùm verò
die illucescēte sequuta illum esset puella, is
ea conspecta mirabundus,
6 Quæ est hæc, inquit, quæ ascendit è
deserto.
7 *Ecce lectus ipsius*, sensus est, Salomon rex
opus habet multis viris strenuis & fortibus,
qui lectum ipsius custodiant. *Ob timorem no-
cturnum*, ne forte illius pulchritudine capti
latrones rapiant eam, quo igitur pacto sola è
deserto ascendit? Præterea Salomon rex cū
duxit dilectam suam, necesse ei habuit ædi-
ficare palatium, vt in medio eius versaretur,
& hæc foras vagari non dubitat?
10 *Ignitum amore*, inflammatum amore in
vnam ex filiabus Ierosolimitanis, posito in
capite eius diademate, Hæc verò omnia Sa-
lomō rex egit, vbi suum amorē persensisset.

INTERPRETATIO TERTIA,
quæ est allegoriæ.

3 QVousque *inuenerunt me custodes*, Moses & Aaron, aliquantulū enim trāsgressa sum & deflexi ab eis, cùm ascendens Moses orauit pro nobis.

4 *Donec induxero eum*, ad arcam.

5 *Adiuro vos*. etiam si vos comitetur Dominus, non poteritis tamen adire possessionem terræ, donec aduenerit annorum terminus. Cùm ergo dicerent, ecce ascendimus, quid scriptum sequitur? percusserunt eos & contuderunt.

6 *Quæ est hæc*. Ecclesia Israëlica, quæ ascendit è deserto & cuius fama per prouincias propagatur. Id enim significat *suffita myrrha*.

7 *Ecce lectus eius*. terra Israëlis, quæ hodie lectus est Salomonis. *sexaginta fortes*, sexaginta myriades, quæ venerunt in terram Israëlicam, cùm recēsauit eos Moses & Eleazar sacerdos.

8 *Ob timorem nocturnum*. instructissimi erāt ad bellum, & necabant omnes, ne si illos in exilium expulissent, sibi ab eis superstitibus metuerent.

9 *Ferculum*. postea ædificauit Rex Salomō ferculum, templum Domini.

10 *Columnas eius stratum eius*, indicat abundantiam auri & argenti, scriptum enim est quòd illud induxerit auro & argento. *Operimentum eius purpureum*, instar purpuræ, aut certè extrinsecus superinduxit illud purpurâ.

11 *Egredimini & videte*. alludit ad id quod legitur in historia Salomonis; Congregati sunt ad Regem Salomonem, &c. 2. Para. 1.

COMMENT. R. INNOMINATI.

1 IN *lectulo meo per noctem*, Narratio altera, quam commemorat dilecta sociis. Semel alias iacebam in lectulo meo, eóque modo expetiui frui cõspectu dilecti mei, *& quæsiui eum*, cogitabam enim quod mecum esset, *sed non inueni*. Et surrexi supra lectum meum, circuiui vrbem, & cætera omnia, prout litera sonat.

4 *Adiuro vos filiæ Hierusalem*, per caput vestrum, inquit dilecta, quæ estis similes capreis ceruísve camporum, si suscitetis, id est, ne excitetis neque euigilare faciatis dilectionem, quæ inter nos duos intercedit, donec velit, ipsa dilectio suapte sponte. Nam quacunque hora recordor illius dilectionis, saucia sum animo.

5 *Quæ est ista quæ ascendit è deserto*, vniuersa hæc verba sunt Sponsæ dicẽtis sociis. Cùm itemtidem reuertebar & quærebam Dilectum meũ, abij in deserta. Protinus autem cùm vidit me admirans, Quę, inquit, est ista quæ ascendit è deserto & sola deambulat, non metuens iniurias & raptum, sicut palmulæ fumi, sicut fumus excitatus è strue lignorum palmæ, qui recta in sublime ascendit, neque in hãc aut illam partem inclinat.

6 *Ecce lectulum Salomonis*. Sic dixit mihi Dilectus meus. Ecce lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, &c.

7 *Propter timores nocturnos*, quibus timet, ne aliqui forte veniant affectum ignominia dilectam suam, nocte concubia, & intempesta. Plerique enim mortalium obiiciunt sese periculis ob amores Venereos. Porrò Ruth sic iter sola faciebat in desertis.

8 *Ferculum fecit sibi Rex Salomon*, vt in eo oblectaret sese cum amica sua. Vsque adeo homo alligatur mulieris amoribus. Et tu obambulas sola, neque aliquid pertimescis? *Pauimentum eius* constrauit in medio ferculi siue palatij aulæis aureis. *Currum eius purpuram*. Obtendit eis tentorium purpuream. Cortinas & papiliones, qui illis erant pro tecto & tentorio appellat *Currum siue ascẽsum*

(vt noster Interpres reddidit). *Medium eius accensum*. Quicquid erat intra ipsum. Agite ergo Salomon est inflammatus & accensus amore vnius è filiabus Hierusalem (adeo homo astrictus est mulieris amoribus), Et tu quo pacto non extimescis solam te dare itineri? *Accensum* רצוף *Ratsuph* combustum significat & ardentem, è loco Esaiæ, in manu eius erat רצפה *Ritspá* carbo ignitus, idē scilicet quod רשפה *pe Shin*. Noster interpres con stratum.

10 *Egredimini*, nunc ô vos filiæ Sion, & videte regem Salomonem cum diademate, quo coronauit eum mater sua die desponsationis illius, quo coniugatus est cum sua amica. q.d. Egredimini & videte, quanta fecerit homo mortalis ob vxorios amores. Et amica mea solitaria incedit, neque veretur ne forte eam aliquis comprimat.

COMMENTARIVS R. SELOmonis in 4. Cap Cant.

1 E*cce tu pulchra*. Laudat eos, illis bene vult, acceptásque habet eorū oblationes, donec aspiret dies. peccarunt enim in conspectu meo tēporibus Ophni & Phinee. *Oculi tui columbini*, color tuus, aspectus tuus, species tua similis columbæ, quæ cohæret

cum pati suo, quam cum iugulant non se motitat, sed opponit ceruicem. Similiter & tu obiecisti humerum tuum ferendò iugo & timori meo. *Intra comam tuam. Pilus tuus sicut grex caprarum*. collaudatio hæc ponitur pro exemplo laudis eius quæ in Sponsa requiritur. Intra vittas tuas, inquit, pilus tuus pulcher est, & splendescit vt fulgor, atque candicat vt pilus caprarum albicãtium, quæ è montibus descendunt, quarúmque pilus è longinquo promicat. Allegoria, qua adumbrat Ecclesiam Israëlicam est hæc. Intra castra tua & tabernacula tua, vel homines scelerati, quos apud te contines, mihi perinde accepti sunt atque Iacob, filiíque eius, qui prospecti sunt descendere è monte Galaad, cùm ibi eos Labã assecutus est, aut etiã atq; illi, qui conflixerunt cum Madianeis trans Iordanem, quæ est terra Galaad. hoc enim glossema extat in Midras Cantici Canticorum. *Intra* Hebr. מבער *Mibbead* sonat intrinsecus. Magna enim ex parte בער *Bead* quod occurrit in scriptura, de re dicitur, quę obumbrat & obtegit aliam, vt בער *Bead* super stellas obsignauit. Itẽ vectes terræ בערי
Ion. 3. *Baadi* super me, &, הבער *Habbead* an supra nebulam. מבער *Mibbead* autem, præposita מ, de re quæ intra illam est, quam poneba-

mus בְּעַד *Bead* ſuper. vnde & illa voce vſus hîc eſt Salomon. Vittam tuã. צַמָּה *Tſamma* id ſignificat, quod pilos ne foras promineãt, inuoluit. éſtque veluti reticulũ & vitta. nec debet exponi ex צוֹמֶת *Tſomet*.i.coniunctio, quia ת, in voce צַמָּתֵךְ, *Tſammatech* radicale eſſet, atque ita afficiendũ daghes, ſubiecto ו pronomine fœmineo aut ו maſculino, vt cũ à שַׁבָּת ſabbato, dicimus שַׁבַּתָּהּ ſabbatum eius, &, בְּשַׁבַּתּוֹ in ſabbato eius, תּ affecto daghes. Atqui ת vocis צַמָּתֵךְ, quia habet raphen, neceſſario ſubit vicem ה fœminei, vt in abſoluto ſit צַמָּה, *Tſamma* quod poſtea ſubiunctis affixis ſiue maſculeis ſiue fœmineis, ה vertat in ת vt enim à שִׁפְחָה *Shiphhá* ancilla, dicitur שִׁפְחָתָהּ שִׁפְחָתוֹ, שִׁפְחָתִי, & ab אַמָּה *Amma* cubitus אמתו אמתה à ערוה *Eruá* turpitudo, ערותו ערותה ita à צמה *Tſamma* vitta, צמתו צמתה צמתי צמתך, vitta ei⁹, mea, tua. Quæ pilo raſæ ſunt. גלשו *Galeſu* hoc ſignificat, גבח *Ghibbah* enim, caluus, transfertur à Chaldęo גלוש *Gallus*. Cum hæ animantes deſcendunt è monte, inuenitur mons decaluatus & depilatus ab eis.

Aliis, comã.

Num. 28.

Quæ prominẽt, quæ enim⁹ proſpiciuntur.

2 *Dentes tui ſicut grex præciſarum.* hoc etiam encomium pertinet ad venuſtatem mulieris. Dentes tui minuti, cãdidi & ordine col-

locati ſimiles ſunt lanæ & gregi agnatum rectè diſpoſito, qui habito ouiũ delectu certo numero traditur ſapienti paſtori. Curandum autem ei eſt vt lana fulgeat, quòd inde operentur lanificia, & ſeruet eas diligenter à partus tempore, illáſque ſingulas quotidie abluat, ne contaminetur lana. *Quæ omnes*

Geminos pariunt. *integræ ſunt.* Heb. מתאימות *Mathimoth*, trahit ſignificationem à מתום *Methom*, perfectio, integritas, vt, non eſt מתום *Methom*, integritas in carne mea. ſignificat igitur ab-

Pſal.38. ſolutas & integras, vernaculé *entieres. Et Abortiens non eſt inter illas.* Nulla orbitas & labes eſt in illis. Allegoria de fortibus Iſraëlicis, qui excindebant & deuorabant hoſtes ſuos dentibus ſuis per circuitũ, cùm intereà ſummopere cauerent à direptione Iſraëlitarum & ab inceſtibus, ne tranſgreſſione contaminarentur. Quod præconium relatum eſt de duodecim virorum millibus, qui decertarũt cum Madianitis præſcripto numero, vt ne vnus quidem fuerit ſuſpectus inceſti, quia ſcriptum eſt, Non defecit ex nobis quiſquam. Quinetiam cogitationum cordis veniam retulêre. Porrò caruerunt rapti ſuſpicione, quoniam de illis teſtatur ſcriptura, Acceperũt omnia ſpolia & comportarunt ad Moſem & ad Eleazarum. Nec vl-

lus eorũ vel vaccam vel asinum interuertit.
3 *Tanquam filum coccini labia tua*, pulchra pollicendo & pollicita seruando, vt fecerũt exploratores Raabæ meretrici, cui dixerũt, Ios. 2
funem fili coccinei suspende, steterúntque promissis. *Et sermo tuus*. nam מדברך *Midbarech* deriuatur à הנדברים *hannibarim*, qui loquuntur tibi iuxta parietes. Et tunc Mala. 3.
נדברו *Nidberu* locuti sunt timentes Domini, vernaculè *parler*. *Tempus tuum*. Heb. רקה *Rakka* tumorem vultus significat, Gallicè *pomelet*, prope oculos. lingua Talmudica vocatur רומני דאפי, *Romni deappe*, elatio faciei. Tempora autem similia dicit fragmini dimidiati mali Punici quod extrinsecus rubicundum est & rotundum, quòd hæc commendatio sit mulieris pulchræ. Allegoricè Doctores nostri intelligũt homines vaniores in Ecclesia, hi pleni sunt præceptis sicut malogranatum. *Intra * vittam tuam*, intra *Comam.
colligamenta tua.
4 *Vt turris Dauid collum tuum*, statura erecta pertinet ad mulieris elegantiam. Allegoricè, vt turris Dauid est munitio Sionia, locus roboris, propugnaculum & arx, ita collum tuum. Hęc camera siue cella ex cæsis & quadris lapidibus, robur & munitio Israëlitarum atque turris ædificata erat לתלפיות

letalpijoth ad diſciplinas, eò eximia pulchritudine extructa, vt eam omnes contemplarentur ad comprehendendum formam eius & ſuperbiam operis, exemplaris loco. Deri-
Iob 35. uatur enim vox hæc ex מלפנו *Mallephenu* docens nos ex beſtiis terræ, atque afficitur ת aduentitio, inſtar תרמית *Tarmith* dolus, תבנית *Tabnith* exemplar, ſimilitudo. *Mille clypei ſuſpenſi ſuper eam*, is eſt mos principum, vt ſuſpendant clypeos & pharetras ſuas de muris arcium. Pharetræ, שלטי *Silte* ſunt thecæ, in quibus recondunt iacula, vt in Ie-
Ier. 51. remia, emundate iacula, implete השלטים *haſſelatim* pharetras. Huic reſpōdet ſella iudiciaria quadrato lapide, vnde ſibi homines metuunt. Lex verò clypeo, eſt enim clypeus Iſraëlitis. Cæterùm licet per ſubmutationē explicare *Mille clypei*, pro clypei mille (hominum), vt aliquo Pſalmorum loco, Verbum mādauit in mille generationes, ἀντὶ τοῦ, in generationes mille hominum. Pharetris autem intelliguntur diſcipuli. conſtat enim ex Pſalmis illos comparari pharetris & iaculis: ſicut ſagittæ, in manu potentis, ita filij
Pſal. 145. iuuentutum. Beatus vir qui impleuerit pharetram ſuam ex illis.

5 *Duæ mammæ tuæ*, quę lactant te. Moſes & Aaron. *Vt duo hinnuli gemelli*, ſolet caprea gemellos,

gemellos, quorũ alter alteri hominum existimatione æqualis eſt, parere. Gloſſemate alio duæ mãmæ ſunt duæ tabulæ, quæ quia ad menſuram vnam comparatæ ſunt, habentur pro *gemellis capreæ*. vna enim complectuntur præcepta quinque, alterâ totidem eáque ſibi altera ex parte reſpondentia. Exempli cauſa, *Ego Dominus, qui eduxi te* *ἀντιστρέφει τῷ*, Non occides. Nam homicida labefactat ſimilitudinem Dei. *Non erunt tibi dij alieni*, huic, Non ſcortaberis. Qui enim poſt Idola ſcortatur, ſimilis eſt mulieri, quæ mariti thorum adulterio cõmaculat & externis nubit. *Non ſumes nomen Dei fruſtrà*, ponitur ex aduerſo huius, *Non furaberis*. furantis enim finis pejerare. *Recordare diei ſabbati*, è regione alterius, *Non dices falſum teſtimonium*. Nam qui polluit ſabbatum falſum creatori ſuo affingit, & veluti affirmat Deũ non quieuiſſe ſabbato orbis conditi. *Honore proſequere patrem*, huic obiicitur, *Non concupiſces*. concupiſcens enim tandem procreabit filium, qui ſibi ſit dedecori & eum qui non eſt genitor honore afficiat. Quinque præcepta ex aduerſo quinque. *Qui paſcunt* oues ſuas *In liliis*, & traducunt eas per viam quietam, rectam & æquabilem.

Elegãs cõparatio duarũ tabularum Decalogi.

6 *Donec aſpiret dies*, donec diffundatur Sol.

Et fugiant vmbræ, tempus æstus & caloris significatur. hodie, inquit, eripiam te, erísque mihi accepta. Dies significat Solem, vt in
Gen.3. Genesi, ad ventum diei, & in Malachia, Ec-
Mal.4. ce dies venit ardens, sicut clibanus. Ex quo aspirauerit dies, ibo mihi in mōtem Moriá in domum seculorum. Hæc in Berechith Rabbá hoc sensu. Quoniam peccauerunt in conspectu meo polluentes nomen sanctum meum, & execrati sacrificium meum temporibus Ophni & Phineæ, subducam me ab eis, & deserto hoc habitaculo, deligā mihi in monte Moriá ædem perennem, vbi tota sis pulchra, absque vlla macula, vbi & omnes tuas oblationes acceptas habeam.

8 *Mecum à Libano sponsa*. cùm extorres ab hoc Libano abducemini, mecum exulabitis. Ego enim in exilium vobiscum proficiscar. *Mecum à Libano venies*. cùm reuerteris ab exilio ipse reuertar tecum: præterea toto exilij tui tempore afficiar tuarum afflictionum sensu, & proinde à Libano venies, cùm migrabis ab hoc Libano venies mecum. porrò non scribitur, *Mecum ad Libanum venies*, vt sit sensus, ab exitu vestro ad articulū vsque reditus vestri vobiscum sum, quocumque tandem exibitis & ingrediemini. *Aspicies è vertice Amaná*. cùm con-

gregauero expulsos tuos, cõtemplaberis & intelliges quænam sit actionum tuarũ merces ab eo tempore, quo in me credere cœpisti, sequẽs me per deserta, atque animo versabis profectiones & mansiones tuas oraculo meo confirmatas, aduentúmque tuum in verticem Senir & Hermon, quæ erant latibula Leonũ, Seonis & Oggi regum. Amaná autem, si historiam spectes, mons est in termino Septentrionali terræ Israëlicæ, qui Talmudicè mons Amnon & mons Ahar, de quo in Numeris, A magno mari circumscribetis vobis montem Ahar. Inde, cùm eò exules congregabantur & appellebant, prospectabant terminum terrę Israël & aërem eius, atque delectati gratiarum precem fundebant, vt propterea dictum sit è *vertice Amaná*. Num. 34.

9 *Excordasti me.* cor meum ad te pertraxisti. *Vno oculorum tuorum.* plurimæ in te sunt species, quàm excellentissimæ, quarum vel vna me in tui amorem pertraheret, quantò igitur magis cunctæ. Vno torque colli tui, sic vno monili torquium ornatus tui cepisti me. significantur ornamenta præcepti, quibus Israëlitæ insigniti sunt. Glossemate alio *vnum monile* vnum ex patribus refert, iuxta illud Malachiæ, ipse vnus erat, túmque ענק Mal. 1.

Aanak propriè non ſignificaret monile, ſed Anacheum & quaſi heroam, id eſt, Abrahamum, qui vocatur Anacheus, homo magnus inter Anacheos.

Ioſ.14. 10 *Quàm pulchri ſunt amores tui.* quilibet locus, in quo tuum amorem declaraſti mihi, pulcher eſt admodum & acceptus, Galgal, Siló, Nob, Gabaon, & ædes perennitatis, de qua carmen condidit Babylonius quidam, Quies Menohæ, & reliqui conuentus, &c. per Menoham intelligens Ieruſalem, per reliquos conuentus loca, in quibus congrediebatur diuinitas cum Iſraelitis. *Et odor vnguentorũ tuorum*, nominis celebritas & fama.

11 *Fauum* dulcedinem *ſtillant labia tua*, guſtus legis & ſententia. *Et odor veſtium tuarũ.* præcepta conuenientia, quæ de more ſeruare ſoles in veſtibus, fimbriis, & hyacintho, veſtibus pontificiis & indumento, quod lex vetat ex lino & lana mixtim confici.

12 *Hortus clauſus.* alludit ad verecundiam & pudorem filiarum Sioniarum, quæ neminem ad nefandos coitus ſollicitant. *Scaturigo clauſa.* גל *gal* fontem ſignificare poteſt, vt in Ioſua גלות עליות fontes ſuperi. poteſt & ſignificare portam, & id ex lingua Syriaca in Talmud, טריקו גלי *teriku galle* clauſerunt portas.

13 *Plantæ tuæ.* שלחים *Shelahim* significant areas. terra enim arida appellatur domus השלחים *hassclahim*, areatũ, siue emissionũ, quas continuò irrigare oportet. hinc ager patrisfamilias pulcher est quem hîc ita commendat. Areæ tuæ siccæ profectò omni bono plenæ sunt, vt paradisus malorum Punicarum. Id verò dicitur propter paruulos, qui in Israele vernant bonis operibus, sicut hoc viridarium malis Punicis. *Cypri cum nardis, &c.* genera aromatum.

15 *Fons hortorum*, omnia hæc referuntur ad *Plantæ tuæ*, seu areæ tuæ. eas commendat à fonte, qui illas rigat. Allegoricè id dicit propter oblationes mundas, quibus Israëlicæ puellæ se diluunt. *Et fluenta ex Libano*, è loco purissimo abhorrente à luto turbido.

16 *Excitare Aquilo & veni Auster.* quoniã mihi suauis est odor tuus & habitaculi tui species, impero ventis Septentrionalibus & Austrinis, vt perflent hortum tuum: vt fragrantia odoris tui longè manet & spargatur. Mysterium pertinet ad exules, qui certatim congregabuntur, gentibus vndique munus comportantibus Ierosolymam, cùm præterea Israelitæ restaurationis temporibus eò conuenturi sint & festa atque statas ferias celebrantes responsuri, *Veniat dilectus meus*

in hortum suum, omnia enim illic reposuisti.

COMMENTARII ABBEN *Ezræ In 4 Cap. Cant.*

1 I*Ntra comam tuã*. intra pilum copiosum, vt, בעד intra fenestram. *Quæ prominent*. שגלשו. quæ prospiciuntur & apparent aut subsiliunt oculo. sunt qui vertant, quæ depilatæ sunt, quòd Chaldæa Paraphrasis caluitiei sit גלוש. sed hoc à sensu remotum.

Abac. I. 2 *Sicut grex præcisarum*, sup. agnarum, vt in Abacuc, Cibus eius obesa. sup. ouis. sententia refertur ad agnas, quarum eadem perinde est magnitudo, atque si altera excisa esset ad alteram. Ita enim verbũ קצב *katsab* aliis locis accipitur, vt ויקצב, *Vaiitktsob* & excidit vnus. Itẽ ויקצב & pręcidit ligna. *Gemellos pariunt*, quæ ante se sigillatim gemellos ducunt. aliis מתאימות *Mathimoth* nõ sunt quæ gemellos pariũt, sed quæ ipsæ gemellæ sunt.

3 *Sermo tuus*, hoc sonat מדברך *Midbarech*. Tanquam fragmen mali Punici. כפלח *kephelah* multis modis exponitur, quidam explicant tãquam dimidium. probabilius est, vt significet florẽ malogranati rubore perfusum. Nonnullis est fragmentum, vt פלח *Pelah*, fragmentum caricæ, vbi sumitur pro

fiſſura & fragmine. *Tempus tuum* inter frontem & oculum. *Comam tuam* צמה *Tſamma* eſt pilus copioſus & freques, vt retege צמתך *Tſammatech* comam tuam.
4 *Ad diſciplinas* לתלפיות *Letalpiioth*, vt nonullis placet לתלות פיות, ad ſuſpēdenda ora ſeu aciem, hoc eſt, enſes. vt aliis, ת accidentarium eſt, & א ſuppreſſum eſt ex loco ſimili apud Iobum. מלפנו *Mallephenu* docens nos ex beſtiis terræ. Grammatici negant aliud huic eſſe ſimile. Pharetræ. שלטי *Silté* genera ſunt armorum, vt והשלטים *Vehaſſelatim*, & ſcuta. Idem enim quod מגנים *Maghinnim* clypei, ſcuta. Iob 35.
8 *Aſpicies*, ſic enim vox תשורי *Tashurí* ſumenda eſt, vt in Iobo, אשורנו *Ashurennu*, aſpiciam eum, ſed non nunc.
9 *Excordaſti me*. cepiſti mihi cor. *Vno Torque*. ענק *Aanak* genus eſt monilis, quod alligatur collo, de quo in prouerbiis, וענקים Prou. 1. *Vaanakim*, & torques in collo tuo.
12 Scaturigo clauſa. גל *Gal*, amnis fluens, ſed exigu⁹: habes ſimile in Ioſua, גלות עליות ſcaturigines ſuperæ & inferæ.
13 Plantæ tuæ. שלחים *Selahim*, rami. Significatio ducitur ab his & ſimilibus locis, תשלח *Teſallah*, emittet ramos tuos ad mare vſque & quaſi propagabit, & שלוחותיה *Sil-* Eſa. 1.

luhothcha propagines eius ſeu plantæ relictæ ſunt. *Paradiſus*. viridarium vnius modi, & generis ſimile horto lingua Iſmaelica. Cypri כפרים *Kepharim*, plurale eſt à ſingulari כופר *Kopher*. de quo antea, botrus Cypri.

Cap. 1. 14 *Aloe*. genus aromatis, de quo, tanquam aloas plantauit Dominus.

INTERPRETATIO
Dramatis.

1 ECce tu. tu verò pulchrior es dilecta Salomonis, & conſpicere te poſſum abſque eo, vt opus habeam palatium conſtruere. *Pilus tuus ſicut grex caprarum*. quæ ſolent ſe in editis montibus ſuſpendere & in pedes conſiſtere, vt hic illic folia carpant. His ſimilem dicit capillũ capitis eius, quod alter in alterum incumbat.

2 *Ex lauacro*. candorem indicat Sponſæ. *Abortiens*. משכלה quaſi fracta.

4 *Vt turris*. comparat torques, qui collum Sponſæ conſtringunt, clypeis qui pendent de arce Dauidica.

5 *Duæ mammæ tuæ*. redit ad parabolam ſeu drama. *Vt duo hinnuli*, quorum odoratus ſuauis eſt, quòd paſcant in liliis. Tu, ô Sponſa, monuiſti vt contenderem ad montes Ba-

ther, donec aſpiraret dies. atqui nuſquam aliò me contuli, quàm ad mõtem myrrhæ.
7 *Tota tu pulchra*. ſenſus eſt, quæcunque ais grata ſunt meis oculis, nec aliqua eſt in te labes.
8 Itaque mecum à Libano ô Sponſa venies, mecũ aſpicies è vertice Amanâ, quod receptaculum eſt Leonum & Pardorum: hoc eſt, fuge è deſerto & ab iis locis, quæ non carent periculo, & me comitare.
9 Neque enim ſeparari à te poſſum, quia ita cor meum illexiſti, vt nullum amplius relictum in me eſſe videatur.
12 *Hortus clauſus*. ſimilis es ô Sponſa horto clauſo, qui foras fragrantiam odoris mittit, & in quẽ nemo ingredi poteſt. Vbi eam præterea comparauit fonti cõſignato, tu es, inquiens, ſimilis fonti hortorum, qui ideò videntur puteus aquarum viuentium, reſpondet Eccleſia, & ait, quãdiu exurget ventus Aquilo & excitabitur Auſter, atque vterque hortum meum perflabit, fluẽtibus eius aromatibus, pergat dilectus meus in hortum ſuum, & poſtea reuertatur.

INTERPRETATIO
tertia, quæ allegorica.

1 E*Cce tu pulchra amica mea, oculi tui co-
lumbini*. Religiosé enim colebãt Do-
minum, vt iam prima interpretatione do-
cui. Per oculos intelligit Prophetas, qui ean-
dem ob causam appellantur videntes & in-
spectores seu speculatores. Per pilum Naza-
ræos, per dentes heroas & strenuos, per la-
bia cantores, per tempora sacerdotes.
4 Per collum Regem, per clypeos princi-
pes eius.
5 *Duo vbera tua*. duæ leges, vna quæ con-
signata est scripturis, altera † quæ traditioni-
bus. vbera enim emittunt lac, sic lex, iuxta
illud, agite frumentũ emptum edite, & quæ
sequuntur apud Esaiam. hîc indicat Domi-
nus se fuisse profecturum in montem Mo-
riam, vbi ædes ipsi sacra. quod sic explicatur
in libris Paralipomenon. Ædificauit Salo-
mon ædem in monte Moriá, qui patefactus
fuerat Dauidi patri. significat igitur se habi-
taturum fuisse in illo monte.
6 *Donec aspiret dies*. donec mutetur ven-
tus, hoc sensu, quandiu Israëlitæ seruãt præ-
cepta mea, sedeo in medio illorũ. & proinde
tota pulchra es.

† Quæ per es. Verb.

Es. 55.

7 Iſraëlitæ enim diebus Salomonis iuſti erant.
8 *Mecum à Libano.* quô veniebant pedibus ex quouis loco, etiam ex vlteriore Iordanis ripa, vbi Senir· præterea ij qui erant in profanorum terris & regionibus, qui conferuntur Leonibus & pardis, omnes illò veniebāt.
9 *Excordaſti me.* cùm dixiſſet, tu tota es pulchra, nūc excordaſti me, inquit, vno torque colli tui, videlicet tribu Iuda, quæ ſecūdum Deum ambulauit. Maxima enim ex parte Reges Iuda fuêre pij. adumbrat autem per vnum oculorum Eliam vatem, qui ad pœnitentiam reduxit Iſraëlitas, vt & adhæſerint Deo. hoc nimirum intelligit per,
10 *Quàm pulchri ſunt amores tui.*
11 *Labia tua.* ob pacifica vota & ſpontaneas oblationes. Veſtibus verò deſignantur duces.
12 *Hortus clauſus:* virgines eorum verecundæ. Paradiſum malorum Punicarum & aromaticarū arborum cōpoſuit ex duodecim generibus, reſpiciens ad 12. tribus Iſraëlicas. Fontem hortorum refero ad mulieres, quæ lotionibus & purificationibus vacant.
16 *Excitare Aquilo & veni Auſter.* Irruit ventus Septentrionalis (de quo illud, donec aſpiret dies) & perflauit hortum, nempe

Iſraëlitas & deiiecit aromata eius in terrã. Fugit dilectus in hortũ ſuum. diuina enim maieſtas ſeſe ſubduxit in cælum. hinc illud, ibo & aſcendam in locum meum. ***Et comedat fructus deliciarum ſuarum.*** q. d. non offeram amplius holocauſta. vide hunc locum ſcripturę, qui adipem ſacrificiorum ſuorum comedunt, &c.

COMMENTARIA
R. innominati.

1 ECce ***tu pulchra amica mea***, verba ſunt dilectæ, laude me exornauit dilectus meus, cùm reperit me, ſic dicens mihi, Ecce tu pulchra es, ſocia mea. ***Oculi tui columbarum.*** hæc omnia pertinẽt ad laudem Sponſæ vſque ad illum locum, ***Ego dormio & cor meum vigilat***. comparat autem oculos dilectæ oculis columbarũ, quòd columbæ non niſi ad cõiuges ſuos oculos cõuertant. ***Intra vittam tuam.*** intra colligamenta tua. Redimîtam enim habes † faſciis faciem, ne vultus tuus appareat. Intra autem illa redimicula oculi tui extant ſimiles oculis columbinis. *Capilli tui* ſunt candidi & nitent, *ſicut Greges caprarum, quæ promicarunt*, & יָרְדוּ, *Iaredu*, deſcenderunt, *de monte Galaad.* גלשו

Cap. 5. Inf.

† Heb. Colligamentis, inuolucris.

Galeshu,ſignificat trahi & deſcendere de alto. Chaldæa enim Paraphraſis τοῦ בגבחתו. *begabbahtho*, eſt בגלו שותיה *biglusutheh.*
2 *Dentes tui* ſunt candidi, *tanquam Grex* caprarum;quæ ſunt קצובות *Ketsuboth* limitatæ & velut connexæ,quæ non ſunt diſperſæ huc illuc. Quæ omnes gemellis ſunt fœtibus. Vniuerſi dentes tui geminos pariunt, in quibus nullus orbatur & deficit.
3 *Sicut filum coccineum*, quod rubet, ſic *labia tua* rubore ſuffunduntur. *Genæ tuæ*, ſunt verecundæ.
4 *Sicut turris Dauid*, quæ porrecta eſt in rectum,ſic *collum tuum*. Illa enim turris,*ædificata eſt in monimenta.* תלפיות *Talpijoth* mutilatam habet literam א, debuitque ſcribi תאלפיות *Talpijoth*,ſententia autem eſt. Turris illa pulcherrima eſt,adeo vt quilibet opifex ex ea poſſit diſcere,& qui vult inſignem ædificare turrim, eam viſat atque in ædificando eius exemplum ſequatur. *Mille clypei pendent ex ea*,turri. *Omnis armatura fortiũ*, שלטי *Silté*,ſunt arma bellica.
5 *Hinnuli capreæ Gemelli*,qui pariter æquales ſunt.Nam ſi vbera mulieris eſſent imparia,ac vnum altero maius, vitium eſſet. *Qui paſcunt in liliis*.quorum odor in lõginquum porrigitur.

6 *Donec aſpiret dies.* Sic tum affatus eſt me dilectus meus, cùm me reperit. Donec aſpiret dies vt flet ventus Aquilonis à meridie & ſuprà, & fugiãt vmbræ, & incipiat veſperaſcere, vadam mihi ad montem Myrrhæ, interea vt otio perfruar. Neque enim eſt cõmodum, vt vnà nos ambo oblectemus in ipſo diei æſtu.

7 *Tota tu pulchra es ſocia mea.* Cùm me laudaret dilectus meus, ſpeciatim recẽſuit omnem meam pulchritudinem. Deinde verò vniuersè complectens eam, dixit, Tota es pulchra ſocia mea, & macula non eſt in te.

8 *Mecum de Libano,* Sic quoque dixit mihi dilectus. Si tu es Sponſa mea, veni mecum de Libano, & proficiſcere mecum de vertice Senir & Hermon. Omnia enim hæc loca ſunt periculoſa. תָּשׁוּרִי *Taſúri* amiſit א, debuítque ſcribi תאשורי *Taaſúri* de ſignificatu incedendi.

9 Tunc *vulneraſti cor meum ſoror mea Sponſa.* perinde ac ſi ambulaſſem cum mille hominibus. *In vno oculorũ tuorum.* cùm in vnũ oculorum tuorum conieci aſpectum, aut cùm vnum monile colli tui perſpexi, vulneraſti mihi protinus animum.

10 *Odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata.* nomen & exiſtimatio tua.

11 *Fauus distillans labia tua.* נופת *Nopheth,* appellatur massa mellis.

12 *Hortus conclusus soror mea Sponsa.* Sicque laudabat me. Soror mea tu es similis horto sera concluso. *Fons cõclusus.* גל *Gal* de significatu גלות עליות, id est fons & scaturigo.

13 *Emissiones tuæ*, plantationes tuæ, cui affine est illud Psalmorum, תשלח קציריה *Tesallah Ketsireha* emisit palmites suos vsque ad mare. *Cypri cum nardis.* Cepharim appellantur vernaculè Camphara. Neradim autem spicæ dubiæ & incertæ genus est.

16 *Surge, Aquilo*, Cùm vidi (inquit dilecta) quod amicus meus comparasset & assimilasset me horto sera clauso, ipsa quoque sic mecum sum locuta, proinde atque si hortus essem, atque dixi. Excitare vente Aquilo in medium horti mei, & ingredere vente Auster, qui es feruidus, & noces hortis, & perfla ventum Aquilonem in hortum meum, & fluant aromata illius, &c.

COMMENTARIVS R.
Selomonis in Cap. 5.

1 V*Eni in hortum meum.* diebus templi dedicati. *Collegi,* אריתי *Arithi,* collegi, decerpsi. Idque lingua Talmudica, vt dũ impleret אורה *Oré,* colligens canistrum, &

biblica, וארוה *Vearúha* meſſuerunt eam, quotquot pertranſibant viam . hoc autem pertinet ad incenſum, quod ſigillatim adoleuerunt principes tribuum ſuper altari exteriore, vt à maioribus traditum eſt, quæ res inſolens apud poſteros . & proinde dictum eſt, *Comedi fauum meum cum melle meo.* יערי cannam meam, vt loquatur de melle, quod
1.Sam.14. creſcit in cannis, de quo apud Samuelem,
ביערת *Beiaarath* in canna ſeu culmo mellis. vnde hunc locum Exodi, Poſuit in cari-
1.In Fauo. Exod.2. ce, Chaldæus transfert, poſuit eum ביערא *Beiaará* in calamo. ſolent, inquit, hoc cortice abiecto mel ſugere, at ego vehemẽtiâ amoris comedi culmum meum cũ melle meo, cannam cũ melle. Nam quamuis non quadraret ex officio incenſum ſpontaneum : ſimiliter nec hirci pro peccato, quos obtulerant principes, (oblatio enim pro peccato non eſt ſpontanea) vtrumque tamen ſuſcepi, illo die. *Bibi vinum meum* intelligit liba-
Lam.4. mina. *Cum lacte meo*, dulciores erant & nitidiores lacte. *Edite ſocij*, in tentorio fœderis, ô Aaronitæ ſacerdotéſque omnes qui adeſtis ædi in ſæcula duraturæ. *Bibite & inebriamini dilecti*, ô Iſraëlitæ quibus permittitur eſus ſacrificij pacifici, quod obtuliſtis in altaris dedicatione.

2 *Ego*

2 *Ego dormio*, cùm eſſem quieta & tranquilla in æde priore, abhorrui à cultu Domini Dei veluti dormiens & alto correpta ſomno. *Et cor meum vigilat*, Deus térque quatérque fœlix. ſic allegoricè exponitur in Peſikthà. *Cor meum vigilat*. Dominus Deus, qui eſt petra & ſoliditas cordis mei, pactióque mea, vigilat ad tuendum & bene afficiendum me. *Vox dilecti mei pulſantis*, diuinitate ſua vates ſacros perfundit, & eorum legatione vtitur ad mane atque veſperi cõmonendum. *Aperi mihi*, ne cauſam prębeas vt abs te abſtrahar. *Quia caput meum plenum eſt rore.* oratio hominis, qui nocte adueniẽs pultat fores dilectæ ſuæ, & ait ſe adductum amore eius nocte, tempore roris & pluuiæ, accedere. Myſticè, ego plenus ſum affectu & quięte ſpiritus Abrahæ patris tui. eius enim opera habui perinde grata atque rorẽ. En me, qui ad te venio onuſtus benedictionibus & donis ad rependendum opera honeſta, ſi quidem ad me redeas. *Cincinni mei guttis nocturnis*. in manu quoque mea plurima vindictæ genera, vt vlciſcar deſerentes & auerſantes me. Ros deſignat tranquillitatem. Guttæ nocturnæ pluuiæque noctis laborẽ & fatigationem. רסיסי *Reſiſé* Chaldaicè guttas ſignificat. hinc illud, ſicut gut-

tæ ſuper herbam , Chaldæus tranſtulit כרסיסי מלקושא *Kirſiſé Malquſa. Cincinni,* קווצות *Keuatſoth* cohæſiones pilorum capitis, qui ſimul colligati ſunt, quas vocant Ploſlz. Quia autem facta fuerat mentio roris & guttarum, ſtatim meminit Salomon capitis & cincinnorum: quòd his ros & pluuiæ ſoleant incumbere. Præterea tam ros quàm guttæ in bonam partem intelligi poſſunt, vt merces quæ aſſignatur leuioribus præceptis, quæque factu procliuiora faciliorâque ſunt, ſit tanquam ros: quæ verò grauioribus & moleſtioribus, tanquam guttæ noctis ſeu pluuiæ & imbres.

3 *Exui tunicam meam.* Iam didici aliam viuendi rationē, vt iam vltra ad te redire non poſſim. In quam ſententiam in Ieremia, ex
Ier.44. quo tempore ceſſauimus adolere militiæ cæli, &c. Illa enim viuendi ratio eorum oculis gratiſſima erat. Porrò hæc verba, *Exui tunicam meam, ablui pedes meos*, cōtinent mulieris adulteræ reſponſum, quæ aperire viro ſuo renuit. Quoniam autē cœperat dicere, *Ego dormio*, vt perſiſteret in metaphora, ad finem periodi ſubiicit, *Vox dilecti mei pulſantis*. pulſare enim vulgò fores ſolent ſub ſomni nocturni accubationem.

4 *Dilectus meus miſit manum ſuam ex fora-*

mine, quod erat ad ianuam, & vidi manum eiùs. Itàque sic in me viscera mea contracta sunt, vt cupierim redire de integro in gratiã & dilectionem eius atque aperire ei.

5 *Surrexi ego vt aperirem dilecto meo, & manus meæ stillauerunt myrrham.* corde integro & anima expetibili, vt quæ se ita ornat, vt viri sui amorem demereri possit odoris fragrantia. *Myrrham transeuntem.* spiritum manantem & diffusum in omnem partem.

6 *Sed dilectus meus verterat sese.* חמק *Hhamaq* recondiderat & occuluerat se, vt חמוקי *Hhammuké* occcultationes femorum tuorum. femur enim occultum est, sic quousque תתחמקין, *Tibhammekín* occultaberis & tegeris ob pudorem, quòd præuaricata sis in me. *Anima mea exierat, cùm ille loqueretur.* & diceret, Non veniam in domũ tuam, quia initio aperire noluisti.

7 *Inuenerunt me custodes, qui circuunt vrbẽ,* vt comprehendant fures, qui noctu grassantur. *vulnerarunt me.* conciderunt me vulneribus. nam פצע *Petsáa*, qua voce vtitur, significat plagam, quàm ferrum bellicum infligit. *naurerie* vernacule. *Peplum meum* רדידי *Redidí* ornamentum quod extensum, expansúmque erat super me. Hactenus de muliere adolescentula, quę maritum sibi

à pueritia conciliatum & deflet & quærit. Myſticè,dilectus meus miſit manum ſuam per foramen,immiſſa vltione,cùm enim dixiſſem,abluiſſe me pedes & ideo me ei non aperturam, neque derelicturã cultum alienum,quem mihi iam delegerã, *Miſit manũ ſuam*,& oſtendit indignationem ſuam rege
Achaz. Achaz, inducẽs in eum copias regis Syriæ, qui illum percuteret abductis captiuis magno numero,& interfecto Phacea filio Romeliæ. In Iuda verò eodem die centum & viginti millibus deletis. *Viſcera mea commota*
Ezechia. *ſunt*,ſucceſsit Ezechia filius eius, conuerſúſque toto corde quæſiit Dominũ, totámque ætatem ſuam ad pietatem reduxit: adeo vt nullum fuerit ſæcŭlum,quod cum hoc conferri poſsit,ſicut explicatur in cap. חלק *Helec*. Explorarunt à Dano ad Berſabeem vſque,nec inuenerunt popŭlum terræ à Gabalo vſque ad Antiochiam, virum aut fœminam,qui non exercitatus eſſet in lectionibus de purificatione & immundicitia. vnde *Manus meæ ſtillarunt myrrham*. Similiter
Ioſia. de Ioſia ſcriptum eſt, huic ſimilis Rex non fuit ante eum. quoniam enim vindictam in promptu habuit, qua Deus exercuit Menaſſem & Ammonem, vt hanc ſcripturam, *Miſit manum ſuam per foramen*, confirmaret,

viſcera eius in ipſo conturbata ſunt. *Aperui dilecto meo, ſed verterat ſeſe.* non reuocauit ſententiam ſuam, in Ezechia enim ſcriptũ eſt, diebus procedentibus tollet quicquid in domo tua eſt, &c. & à filiis tuis quos generabis, Daniele ſcilicet, Hanania, Miſaele, & Azaria, &c. Similiter in Ioſia, per Oldam Propheticiſſam. En ego, adduco malum in locum iſtum & in habitatores. Etſi enim, vti ſcribitur, ſimilis Rex ante eum non extitit, tamen non auerſus eſt Dominus ab ira furoris, qua vehemẽter exarſerat in Iudam prouocatus flagitiis Menaſſis, & proteſtatus, Etiã Iudam tollam à facie mea, quemadmodum ſuſtuli Iſraelem, & abiiciam vrbem hanc. *Anima mea exierat cùm ipſe loqueretur.* egreſſa erat à me cùm verbum hoc diceret. *Quæſiui eum & non inueni.* Si obiicias Ieremiam qui extabat & vaticinabatur Regibus Ioachimo & Zedechia in hæc verba, reuertimini ad me & reuertar ad vos. reſpondebo, Dominum non ſignificare ſe planè abrogaturum ſententiam, ſed mitigaturum vindictam, & confirmaturum regnum eorum, vbi rediiſſent ab exilio, illis abſque eradicatione plantatis & ædificatis abſque deſtructione. *Inuenerunt me cuſtodes*, Nabugdonoſor & exercitus eius. *Qui circuunt*

vrbem,vt perſequantur iniurias Domino illatas. *Tulerunt peplum meum*, ædem ſanctuarij. *Custodes mœniorum*. etiam Angeli adminiſtratorij, qui cuſtodes erant mœniorum eius.hinc illud,ſuper muros tuos Ieruſalem, incenderunt per eum lucem, quod alibi dictum eſt,ex alto ignem miſit.

8 *Adiuro vos* ô gentes quæ paretis Nabugdonozori, quæque vidiſtis quàm prompto animo Ananias, Azarias, & Miſaël ſe foco igneo expoſuerunt, Daniel lacui leonum, ne edicto regio de non orando Deo conſentiret, quám promptè ætas Mardochei, temporibus Hâmanis,pericula ſubierunt. *Si inueniatis dilectum meum*, venturis temporibus, in die iudicij quo requiretur à vobis vt de me teſtificemini,iuxta illud,Dabunt teſtes ſuos & iuſtificabuntur. *Quid indicabitis illi*.quid de me teſtificabimini,nonne me ipſius cauſa apud vos multa perpeſſam? veniet Nabugdonozor & mihi teſtimonio ſuo aderit.adueniet Eliphaz, Sophar,& cæteri exterarum nationum vates atque teſtabuntur,quàm ſedulò legem impleuerim.

9 *Quid excellentius dilecto tuo, quàm cæteris?* ſic interrogabant gentes Iſraëlem, Quid Deus veſter præ reliquis, vt ita ipſius nomi-

ne comburamini & suspendamini? *Quia sic adiurasti nos*, vt testificemur ei amorē tuum.

10 *Dilectus meus nitidus*. צח *tsah* significat elegantem & nitidum, vt צחו *tsahhu* nituerunt præ lacte, in Lamentationibus. *Et rubicundus*, commendatio formosi adolescentis, cùm cādidus est, vultu eius intereà subrubente. *Vexillatus de myriadibus*, multis admodū stipatus exercitibus, adeo vt exercitus eius sint myriades. sic verò quāplurimos vocant, vt in Ezechiele, Myriadem sicut Ezec.16. fœnum agri dedi te.

11 *Caput* fulget instar sphærulæ obrizi. כתם *Kethem* (quod sphærulam vertimus) significat peculium regum, quod reponunt in ærariis suis, vt, mutabitur הכתם *Hakkethem*, sphærula aurea. Item לכתם *Lakkethem*, globo aureo dixi spes mea es, &, monile Lam.4. הכתם *Hakketem*, auri. *Cincinni eius densi*. תלתלים *Taltallim*, quasi suspensi, vernaculè *pendans*. *Nigri vt coruus*. omnia hæc pulchritudinis argumenta sunt in iuuene.

12 *Oculi eius tanquam columbi ad riuos aquarum*. oculi eius ad fluenta aquarum pulchri sunt, sicut oculi columbini. Fluenta aquarū iucunda sunt aspectui, ac illò iuuenes exeūt deambulandi causa. Ita laudat Lyricus quidam poëta, Oculi dilecti mei, cum ipse in-

tuetur in fluenta aquarum, similes sunt pulchritudine oculis columbinis. *Abluti* oculi dilecti mei *lacte. Siti super plenitudinem.* hæc omnia indicãt venustatẽ Sponsi. Non eminent plus æquo, nec demersi sunt, aut profũdi, sed residẽt in plenitudine orbis sui. Metaphorice enim plenitudo significat quod comparatum est ad replẽdam foueam, quæ alicuius rei receptandæ capax est. vt, lapides plenitudinum. Item, repleuisti eo plenitudinem lapidis.

13 *Malæ eius tanquã area aromatica.* Ibi enim in illis areis sunt plantæ aromaticæ & vnguẽtariæ. *Turres pigmentorum.* Virgæ & propagines aromatum, quibus pharmacopolæ opus suum condiunt & miscent.

14 *Manus eius orbes aurei*, veluti sphæræ aureæ. *Impleti hyacinthis.* Lapidis preciosi in aurum immissio vocatur impletio seu plenitudo. *Nitor eboris.* עשת *Eeseth* crassitiem sonat, vt, pingues facti & עשתו *Aasetu*, incrassati sunt. Massa densa, vocatur עשת *Eeset.* Gallice *masse*. *Ebur* seu שן *Shen*, Dens est elephantinus. *Tecti.* מתעלפת *Mithallépheth*, ornati & adaptâti sapphyris, vt in Genesi ותתעלף *Vattithalleph*, cuius Chaldæa interpretatio ואיתקוף *Vaittekoph* & adaptata est.

15 *Crura eius Columnæ marmoris fundatæ su-*

per bases obrizi.columnę שש *Shes*,marmoris.
שש *Shes* enim idem quod שיש *Shais* mar- Est.1.
mor,vt in libro Esteræ, super globis argenti
& columnis שש *Shes*,marmoris. *Aspectus*
eius, procerus sicut cedri *Libani*: *Electus vt*
cedri.eximius inter filios,sicut cedri inter re-
liquas arbores.

15 *Palatum eius dulcedines*.verba eius dul-
cia.

16 *Dilectus meus*.ea est species dilecti mei,
hæc forma socij mei,&ob hæc omnia amo-
re eius ægra sum.Allegoria ad Deum refer- Allegorica expositio.
tur hunc in modum.Dilectus meus nitidus
& candidus ad dealbãdas iniquitates meas.
Nitidus & candidus,cùm apparuit in Sinaï,
referebat speciem antiqui literarum profes-
soris.Itẽ cùm in iudicio pręsidebit vestimẽ- Dan.7.
tum habiturus est candidum niuis instar,pi-
lúmque capitis canum sicut lanam. *Rubicũ-*
dus ad vlciscendum inimicos suos, in quam
sententiam Esaias,Quare ruber es vestimẽ-
tis. *Vexillatus de myriadibus*. multi exercitus
cingunt eum.*Caput eius aurum obrisum*.prin.
cipia verborum eius fulgẽt instar auri puri
puri.hinc Psalmus canit,Ostium verborum
tuorum illuminat. Ostium illud habetur in Exod.20.
Exodo.Ego Dominus Deus tuus, vbi ostẽ-
ditur primùm ius regni penes Deum esse,

deinde decreta populo ſanciuntur. *Cincinni eius denſi.* In ſingulis cincinnis cumuli multi lectionum. *Nigri vt coruus.* etenim ſupra ignem lucidũ ſcintillabat obſcurus & ater in Iſraëlis conſpectu. Gloſſemate alio Cincinni eius denſi indicant Dominum, cùm ad mare Rubrũ viſus eſt ſpecie iuuenis acriter depugnantis. *Oculi eius vt columbi ad riuos.* ſicut columbi oculos dirigunt ad † feneſtras ſuas, ita oculi Domini proſpectant ædes Eccleſiarum ſuarum & gymnaſiorum, vbi ſcaturigines legis, quæ comparantur aquis. *Abluti lacte.* cùm contemplantur iudicium, illuſtrant ius ex æquo & bono, iuſtum pro iuſto habent, eique tribuunt ſecũdum integritatẽ ipſius, contrà damnant impium, eiúſque viuendi rationẽ retorquẽt in caput. *Stãtes ſuper plenitudinẽ,* in plenitudine vniuerſitatis. Spatiantur in omnem terram contemplantes probos & improbos. Adde hanc de diſcipulis ſapientum interpretationem. Deus tribuit illis oculos ad illuſtrandũ mundum, vt & oculi præbent hominibus lucem. Sicut autem columbi, ſi vel paululũ abieris, emigrant vt ſibi cibum quæritent, ita & illi abeunt è ſchola huius ſapientis ſeu philoſophi, in alterius, ad perueſtigandos legis ſenſus. *Ad riuos aquarum,* ad Academias,

† Ad colũbariorũ foramina.

quæ ſunt aquarum legis emiſſiones. *Abluti lacte*. Heb. רוחצות *Rohhatſoth*, fœminini generis, quia oculus apud Hebræos fœmininũ eſt. Indicantur verò hi qui nitidos ſe reddũt lacte legis & declarant arcana myſteriáque eius. *ſiti ſuper plenitudinem*. accommodantes verba ad modos ſeu tropos ſuos. De his hactenus. Alia expoſitione, *Oculi* deſignant ſectiones legis, lectiones & tractatus Talmudicos, qui referunt colũbos, qui inceſſu ſpecioſi ſunt, *Ad riuos aquarum*, in ludis literariis. A*bluti lacte*, nitidi facti lacte, vti iam expoſui. *Malæ eius*. verba habita in mõte Sinaï, vbi illis oſtẽtauit hilarem & lenem vultum. *Labia eius roſæ*, verba quæ locutus eſt in tentorio fœderis ſeu conuentus, pertinebant ad placationem, veniam odorémque ſuauem, vt lex oblationis pro peccato, pro delicto ſacrificij quotidiani, holocauſti & pacificorũ. *Manus eius tabulæ* , quas dextra ſua dedit, quęque opus manuum eius ſunt. *Orbes aurei*, ſignificatur Decalogus, qui tabulis continebatur, optabilior auro & obrizo copioſo. R. Ioſua filius Nehemiæ illas dixit prodigioſas, quòd adamantinæ eſſent & intereà volubiles. dici prætereà poſſunt גלילי *Ghelilè* ſeu orbes & q. volumina, quòd bonum in hanc vniuerſitatem deuoluerint. *Impleti hyacin-*

this.nam præcepta trecenta & tredecim numero Decalogum implent. *Viſcera eius nitor*
†Leuiticus *eboris*.ea eſt lex ſacerdotum,† quæ in medio quinque librorum legis edicta eſt, vt viſcera quæ in medio corporis collocata ſunt. *Eboris tecti ſapphyris*. lex apparet læuis & blanda tanquam nitor eboris, conſtátque ſubtilitatibus multis,rationibus à pari,à fonte & origine,à minori,à maiori. *Fundatæ ſuper baſes auri*. Columna hæc, ait R. Eleazar Hakkapar,ſupernè coronamentum & epyſtilium, infernè baſin habet. Ita, inquit R. Bárghara,ſectiones legis ſupernè coronam, infernè baſin accipiunt, & cohærent cum antecedentibus & ſubſequẽtibus. Exempli cauſa, ſectiones de anno ſeptimo ſeu anno remiſſionis,de Iubileo, atque illa, cuius ini-
Leu.25. tium, Cùm vendideritis venditione, copu-
Leu.25. latæ ſunt,ad demonſtrandum, quàm moleſtè annus ſeptimus trãſigatur à pauperibus, quemadmodum explicatũ eſt in Talmud, tractatu de æſtimationibus & de tabernaculis.Similiter Num.27.ſectio,cuius initium,
Num.28. Præficiat Dominus aliquem multitudini, & cuius exordium, Præcipe oblationem meam panem meum, in hanc ſententiam. Tantiſper dum mandas mihi de filiis meis (vt illis aliquem præficiam) etiam tu eis de

me manda (vt curent oblationes meas). Et sic aliæ cõplures, vt proinde rectè scriptum sit, *Crura eius columnæ marmoris fundatæ. Aspectus eius vt Libanus*. qui attendit & intelligit verba eius, obuios habet flores & dactylos, vt hac in sylua quę floret, atque ita qui verba legis meditatur, in illis sensus renouat. *Electus*, eximius sicut Cedri, quæ ad ædificia, robora & altitudines deliguntur. *Palatum eius dulcedines*. verba eius suauia, vt, Stigma animæ non ponetis in carne vestra. Et, Ego Dominus, qui fidelis sum ad rependendum mercedem. ést ne palatum isto suauius? Et, Ne corrumpatis opera vestra & recipietis præmium. Et, vbi conuersus fuerit impius ab impietate sua, iudicium & iustitiam ediderit, viuendo viuet, iniquitates eius illi ducentur innocentiæ, ánne est palatum aliquod isto dulcius?

COMMENTARII ABBEN *Ezræ In 5. Cap. & primum vocum explicatio.*

1 *COllegi myrrham meam.* אריתי *Aríthi*, vt, in Lamẽtationibus, ארוה *Arúha*, collegerunt eam quicunque illac pertransibant. *Fauum meum.* sic & יער *Iahar*, alio lo-

co accipitur יערת הדבש *Iaarath haddebas*, fauus mellis. *Cum lacte meo*. sunt qui existiment חלב *hhalab*, hîc significare candorem illum, quem vinũ despumat, vt sonet quod
Ezech.27. in Ezechiele הלבון *Hhelbon*, in vino, inquit, candido. Atqui id alienius est, cũ præsertim חלבון *Hhelbon*, sit nomen loci, non autem adiectiuum. Itaque חלב *Hhalab* hic accipi debet pro lacte.

2 *Pulsantis*. Heb. דופק *Dophek* arctantis, vt Iud.19. מתדפקים *Mithdappekin*, qui arctant se ad ostiũ. *Integra mea*. perfecta mea. *Cincinni mei*. Hebr. קווצותי, *Keuutsothai*, per metathesim explicari debet pro קצוות *Ketsuuoth*, extremitatibus pilorũ. *Guttis*. רסיסי, *Resise*,
Ezech.46. deriuatur à themate, quod apud Ezechielẽ, לרוס *Laros* ad conspergendum similam.

3 *Inquinabo eos*, nam טנף *Tinnaph*, lingua Doctorum nostrorum inquinare significat.

4 *Ex foramine*, per foramen, quod interiectum est inter duas valuas.

Cant.7. 6 *Verterat sese*, חמק *Hhamak*, scilicet significat abire, vt infra חמוקי *Hhammuke*, abitus femorum tuorum. sunt qui eadem significatione vsurpent illud Ieremiæ, vsque-
Ier.31. quo תתחמקין *Tithhammekin*, abibis, sed sensu alieniore.

7 *Peplum meum.* רדוד *Ridud*, lingua Ismaëlica significat velum.

10 *Vexillatus.* דגול *Daghul* significationem mutuatur à דגל, *Déghel, Vexillum.*

11 *Aurum.* Heb. כתם *Kethem*, res est rotunda de monilium genere. פז *Paz* autem, quod obrizum vertere solemus, significat, lapides preciosos. *Cincinni eius.* extremitas pilorum eius. *Densi.* Heb. תלתלים *Taltallim* aceruī, idē quod simplex תל *Tel*, aceruus, cumulus, vt in Ezechiele, super montem editum & תלול *Talul* cumulatum. Ezech.17.

12 *Super plenitudinem.* super adaptationem, vt, implebis in eo מלאת *Milleth*, plenitudinem lapidis.

13 *Area.* Heb. ערוגת *aaruga*, hæc vox significat partem loci in horto. *Turres.* Heb. מגדלות *Migdaloth*, quidam deducunt à גדול *Gadol*, magnus. at rectiùs est vt sit plurale à singulari מגדל *Migdal*, turris.

14 *Orbes.* גלילי *Ghelilé*, sonat veluti sphæras, vt על גלילי כסף, *aal ghelilé Keseph* super orbes argenteos. *Impleti hyacinthis*, ornati & cælati, vt in Exodo, ומלאת בו *Vmillétha bo*, implebis in eo, cælabis in eo. *Hyacinthis.* Heb. תרשיש *Tarsis*, lapidis preciosi genus est, vt in lege, Tarsis, onix, & iaspis. sunt qui scribant esse colore cæruleo & cælesti. *Vi-*

ſcera eius, venter eius. *Nitor*, עשת *Eeſſeth*, vas eſt confectum è dente elephantino candidi coloris. Ita autem vocatur, quia nitet, vt in

Lam.4. Ieremia. pinguefacti ſunt & עשתו *Aaſethu*, nituerũt. *Tecti*. Heb. מעלפת *Mehullèpheth*, quo ſignificatu in Geneſi, ותתעלף *Vattithaleph*, & texit ſe. *ſapphyris*. lapis eſt precioſus

Lam.4. rubro colore, vt ex Ieremia liquet, Rubuerunt oſſe præ gemmis, ſapphyrus ſegmẽtum eorum. ſimilitudinem enim candoris iam his verbis præmiſerat, ſicut lac & tanquam nix. Errat autem, vt hoc obiter admoneam,

Exod.24. qui illud Exodi, ſicut opus לבנת הספיר *Libnath haſſappir*, exponit à לבן *Laban*, albus. nã non eſt aliunde interpretatio quærenda, quàm ab hoc loco, Cape tibi לבנה *Lebenâ*, laterem, vt hæc adiectio, Sicut opus, ſatis oſtendit. Quo enim ſenſu iungere poſſis, Opus cum candore? dicẽdum enim fuiſſet, ſicut aſpectus candoris, non ſicut opus.

15 *Marmoris*. Heb. שש *Shes* pro vſitatiore שיש *Shais*, marmor, quaſi norma reperies pro codẽ aliquo ſydere עש *Ees* & עיש *Aais*,

Declaratio Dramatis.

1 V*Eni*, inquit Sponſus, in hortum meũ, & meſſui myrrham meam, in hunc ſenſum

ſenſum, ſatiatus ſum omni bono, nec mihi quicquam præter ſpeciem tuam deeſt. præterea ne timeas quia ſodales meos Paſtores (vt dictum eſt principiò *poſt greges ſodalium tuorũ*) vino cibiſque ſatiaui. Sponſa ſubiicit,

2 *Ego dormio*, etiam ſi dormiam, tamen cor meũ veluti vigilat. Id bis dixit, primùm quidem per ſomnium, nunc verò vbi ad ſe in hortum ſuum veniſſet, quod iam illũ obteſtata fuerat, *Excitare Aquilo. Vox dilecti mei pulſantis*. hæc nuda loquitur. cæterum tota ſectio clarior eſt, quàm vt explicationis egeat. Cap.3.

9 *Vexillatus de myriadibus*. veluti vexillaris inter ſocios ſuos..

13 *Malæ eius*, barba eius. *Turres*, malæ eius circum eum ſunt veluti turres.

14 *Impleti hyacinthis*. hoc pertinet ad pilum qui eſt ſuper manus eius. *Viſcera eius nitor eboris*. cingulus lumborum eius iuxta viſcera eius cincta. Non enim nudus eſt.

15 *Super Baſes auri*, pedes & articulos eorũ. *Aſpectus eius vt Libanus*, qui viſu eſt optatiſſimus.

Declaratio allegoriæ.

1 IN hortum meum, inquit diuina maieſtas, veni, nec tamen cuiuſquam indigeo. quoniam vt eſt apud Pſalmographum,

mea est omnis bestia saltus. si re aliqua habeam opus, omnia mea sunt. *Fauum meum cum melle meo*, cibũ apposui sodalibus meis, angelis. quo igitur pacto ais, Et comedet fructum deliciarum suarum. Postquam autem Dominus subduxit se in sublime, Israëlitæ Babylonem emigrarunt, vbi Ecclesia Israëlica, Ego in hoc exilio dormio vti is qui in tenebris est, sed *Cor meũ vigilat*, quia cupij redire in gratiam cum diuinitate, sicuti anteà.

2 *Vox Dilecti mei.* illud est, quod legitur. Excitauit Dominus spiritum Cyri Regis Persarum. *Quia caput meum plenum est rore.* non habitaui in æde. allegoria explicatur apud Aggeum. Tempus ne est vt vos habitetis in domibus vestris laqueatis & hæc domus deserta sit? Aut ros significabit lachrymas Israëlitarum qui ascenderunt ab exilio.

3 *Exui tunicam meam*, cum segnes erant Israëlitæ ad ascendendum & ædificandum ædem Domini.

4 *Ex foramine.* è fenestra firmamẽti. Hinc scribitur apud Ezram, Vaticinabantur Aggeus & Zachar. filius Iddó.

5 *Surrexi vt aperirem dilecto meo*. hæc est ædificatio tẽpli. Cogitabãt quidem Deum

habitaturum esse cum eis,& ita eos Domini vates sperare iubebant, vt, habitabo in medio tui, siquidē rectam viam tenuissent, verumtamen ille non est ingressus cum eis, quia sequitur,

6 *Quæsiui illum, sed non inueni. Exierat anima mea, cum ipse loqueretur.* anima mea veluti excedit, cùm recordor verbi, quod mecum antiquis diebus habebat.

7 *Inuenerunt me custodes*, Reges Græciæ. *Percusserunt me, tulerunt peplum meum*. reliquerūt me nudam pręceptis,& ego intereà inhærebam Domino, ægráque eram amore, neque colui Deos externos. Posteri Alexandr

10 *Dilectus meus elegans*. opera enim eius pura puris. *Et rubicundus*, prouocantibus eum ad iracundiam, iuxta id Esaiæ, quare rubra sunt vestimenta tua? Quod autem dicit; *Vexillatus de myriadibus*, tale est, quale illud Danielis, millies millia ministrabāt ei.

11 *Caput eius aurum obrizum*. thronus gloriæ. *Nigri vt coruus*. iuxta illud, ponit tenebras latebram suam, circum se tabernaculum suum. Psal.17.

12 *Oculi eius*. vti scriptum est, in omni loco oculi Domini. *Abluti lacte*, hinc apud vatem, mundior oculis, quàm vt videas malum. Hab.1.

13 *Malæ eius*. intellige Principes, qui assistunt vultui. *Labia eius*.angeli qui mittuntur ad homines,vt Gabriel.

14 *Manus eius orbes aurei*. rotæ, de quibus in principio Ezechielis. porrò ad hanc vocem hyacinthorum allusit idem Ezechiel, aspectus rotarū & opus eorum in speciem hyacinthi. *Viscera eius*.cingulus medius, in quo sunt similitudines Sydерum.

Ezec.1.

Zodiacus.

15 *Crura eius*. corpus, ex quo procreatus est mundus. indicantur autem per שש *Shes*, (quod vertunt marmor & etiam sex significat) termini † sex. *Bases auri*. terra, qua sententia dictum est in Iob, super quo bases eius demersæ sunt. *Aspectus eius vt Libanus*. in Libano enim arbores innumerabiles sibi videre quis videatur. Itaque cùm vnam earum cōtemplatur, cogitat alteram non ei esse similem. verùm vlterius progrediens incidit in mirabiliorem & præstantiorem.Ita opera Domini. *Electus vt cedri*. Ipse enim permanet & opera eius similiter, tantúmque abest vt pereant, vt noua sint singulis crepusculis. vsque adeò multa est veritas eius.

† Læuum mūdi,dextrum,superum,inferū, anticum, posticum, vide lib. Ietsirá.

Iob.38.

Lam.3.

COMMENTARIA R. *innominati.*

1 RESpondit autẽ mihi Dilectus meus, *Ego veni in hortum meum soror mea sponsa,&c. Messui,* אריתי *Arithi*, de significatu collectionis. cui simile extat in scriptis Doctorum nostrorum beatæ recordationis במלא אורה וסלו *kimló oré vesalló*, veluti plenitudinẽ metit & cartallum eius. *Fauum meum cum melle meo.* יער *Iahar*, est canna repleta melle. (sacchatum). Hinc Chaldæa Paraphrasis סוף *Suph*, caricis siue iunci, est יערא *Iahara. Comedite amici.* & lætamini etiam vos ex lætitia & gaudio nostro.

2 *Ego dormio & cor meum vigilat.* Ego aliquando dormiebam (ait dilecta sociis suis) cor autem meum vigilabat. Tum verò audiui vocem dilecti mei, qui pulsabat fores ostij vt ingrederetur ad me, dicebátq;, Aperi mihi soror mea, socia mea. *Cincinni mei,* capilli mei. *Guttis noctium* רסיסי *Resise*, stillæ, vnde locũ scripturæ, וברביבים עלי עשב *Vbirbibim aalé eeseb*, Chaldæus transtulit רסיסי על מלקושא *Resisé aal Malqosá* stillas super herbam.

3 Ego autem respondi Dilecto, Ecce me, modo *Expoliaui me tunica mea,* & quomodo

induat illa, itaque torpui, neque protinus adij.

4 *Et dilectus meus misit manum suam per foramen*, & tetigit pessulum, eo vt aperiret. Quamprimum autẽ vidi eum, *Viscera mea fremuerunt super me.*

5 *Myrrha transeunti*. Myrrha, cuius odor longissimè traducitur. *Super palmis pessuli.* in loco, quem tetigerat dilectus meus.

6 *Et dilectus meus declinauerat atque transierat*, abscõderat sese & transierat, abierátque sibi dicens mihi, Ne aperias mihi nunc. *Et anima mea liquefacta est, vt locutus est*, verbum illud.

7 *Peplum meum.* רדיד *Redid*. ornamentum operis ductilis & passi candidum, nitidum & purum.

10 *Vexillatus in myriadibus*, in loco in quo sunt myriades hominum. magnus est & insignis vltra omnes, veluti vexillum.

11 *Aurum optimum,* כתם פז *Kéthem paz*, margaritum preciosum. *Comæ eius cumulatæ*, capilli eius, qui faciunt cumulos, nigri sunt velut coruus. Quæ pulchritudo est hominis albi & rubicundi.

12 *Oculi eius columbæ*, similes sunt oculis columbarum, quæ inueniuntur iuxta riuos aquarum, quæ non dirigunt oculos nisi ad

ſuos coniuges. Sic oculi dilecti mei non niſi ſpectant me. *Loti ſunt oculi dilecti mei lacte, reſidentes ſuper plenitudine*, vt impleant foueolam ſuam.

13 *Genæ eius* habent fragrantem odorem *ſicut areolæ aromatum*. *Turres* genarum eius *pigmenta* aromatum.

14 *Tornationes auri*. Sicut rotulæ aureæ plenæ ſunt Tarſis, qui lapides ſunt precioſi, ſic manus eius ſimiles ſunt ocellationibus (& variegationibus) auri confecti ad includendum Tarſum. *Viſcera eius eburnea*. Venter eius ſimilis eſt fragmento eboris operti ſapphyris. שֵׁן, ebur, eſt os elephanti, מְעֻלֶּפֶת *Mehullepheth*, tectum & opertum ſignificat, vt, & texit ſe peplo & תתעלף *Tithalleph*, inuoluit ſe, in Geneſi.

15 *Crura illius* ſimilia ſunt columnis primariis, quæ fundantur lapidibus aureis.

COMMENTARIVS R. SELOmonis in 6. Cap. Cant. Cant.

1 *QVo profectus eſt dilectus tuus*. exteræ gentes probro & cōtumelia afficiunt Iſraëlem, & quærunt quò profectus eſt dilectus tuus, quare reliquit te deſertam & viduam. *Quò vertit ſe dilectus tuus*. cùm con-

uertit se Dominus collocato spiritu suo super Cyrum,& facta restaurandi templi copia,iis, qui illud ædificare cœperunt, dicebant gentes, quò vertit sese dilectus tuus? Iamne ad te rediit? Et quæremus eum tecũ. In hanc sententiam Ezras, audierunt hostes Iudæ & Benjamin filias exulum templum deplorare,&c. accesserúntque ad Zorobabelem,&c. Ædificabimus vobiscum, nam quemadmodum vos, quærimus Deum vestrum & quæ sequuntur: atqui propositum illorum malignum erat, vt nempe impedirent opus templi. Ipsi autem respondent,
2 *Dilectus meus in hortum suum.* nos iussit ædificare ædem suam,vt illic nobiscum sit. *In aream aromatis.* locum in quo adoletur incensum. *Vt pascat in hortis* & præterea descendit vt pascat oues suas in hortis vbi dispersæ sunt (non enim ascẽderunt ab exilio) & collocet diuinitatem suam super eas in synagogis & gymnasiis. *Et vt colligat lilia.* audit & attendit loquentes de lege sua colligens innocẽtiam eorum & inscribens eos libro memoriarum in conspectu suo,vt scriptum est in Malachia. Tunc loquuti sunt timentes Domini,&c.
3 Quod autem obtestamini, vos cum mecum quæsituras,sum equidem, fateor, dile-

cti mei, at vos ad eum minimè attinetis, & propterea nobiscum non ædificabitis: hinc illud, Non vestrum est sed nostrum ædificare ædem Domini nostri: & paulò pòst, Vobis non est pars, aut iustitia, aut memoria in Ierusalem. *Qui pascit in liliis*, oues suas in pascuis placidis & commodis.

4 *Pulchra es socia mea, vt* † *Tirsa*. Ecclesiam laudat Dominus & ait, nonne propterea pulchra & elegans es socia mea, quoniam accepta es mihi? sic allegoricè exponitur in Siphré. *Venusta es* nunc, vt initio in Ierusalem, *Formidabilis vt vexillata* castra Angelorum. Terrorem tuum immittam in eos, vt non deiicent aut interturbent te ab opere, vti scriptum est apud Ezram.

† R. Selomo appellatiuè pro beneplacito intelligere videtur.

5 *Auerte oculos tuos à me.* alluditur ad iuuenem, qui Sponsam suam oculis elegantem sibique iucundissimam ita alloquitur, deflecte oculos tuos à me. nam dũ eos intueor animo apud me tumeo, sũmque insolétior, spiritúsque meus ita in me attollitur, vt non possim † consistere. *Extulerunt me.* הרהיבוני *Hirhibuni*, inflarunt cor meum, vt רהבם *Robbam*, insolentia eorum seu superbia, labor & vanitas, &, רהב *Rahab* insolentia eorum cessatio. Allegoricè, fieri non potest, inquit Dominus, vt reducam vobis arcã, pro-

† Obfirmare me. Psal. 90. Es. 30.

pitiatorium & cherubos: qui in æde priore me efficiebant insolentiorem, vtque ostenderem summam meam erga vos dilectionẽ, donec prȩuaricata es in me. *Pil' tuus vt grex caprarum.* In paruulis, delicatulis & tenuioribus, qui sunt inter vos, laus inest plurima.

6 *Dentes tui.* principes & fortes, qui in te sunt, omnes rebus bene agendis student. *Vt grex ouium.* ouis hæc tota sacra est, lana eius accommodata est colori hyacinthino, caro oblationibus, cornua buccinationibus, crura fistulis, intestina fidibus, cutis tympano. Impij autem comparãtur canibus, qui inepti sunt ad sanctificationem.

8 *Sexaginta sunt Reginæ.* Abraham & qui prodierunt é femore eius, filij Ketura sedecim, Ismaëlis & filiorũ eius tredecim, Isaaci & posterorum eius triginta, filij Iacob duodecim, filij Esau sedecim, vide librum Paralip. Sic habes sexaginta dempta é numero Timna, quȩ fuit vxor* Abrahæ. *Et octoginta concubinæ.* Noë & filij eius ad Abrahamum vsque per generationes vniuersas, quæ arca exierunt, efficiunt octoginta numero. Quẽadmodum autem reginæ, quæ sunt vxores regiæ, excellunt magnitudine concubinas, ita Abrahamus, quique ab eo orti sunt habentur maiores & præstãtiores reliquis om-

* videtur esse mendum.

nibus,vt ex his constat.Hagar enim regibus orta erat,similiter Timna filia erat principũ, & tamen facta est concubina ipsius Esaü: præterea quæ est in Genesi vallis Saué, q. Gen. 35.
æquata, indicat æquatos esse omnes cõsilio Gen. 14.
vno & constituisse super se Regem Abrahamum. *Et virgines absque numero.* in nationes multas hi omnes,quos enumerauimus, distributi sunt.

9 *Vna est columna mea*, at ex omnibus vna mihi electa est columba perfecta, quæ erga coniugem suum corde est syncero. *Vna est matri suæ.* synagogæ suæ.multæ quidem sunt familiæ in scholis, at omnium mens spectat ad intelligendam legem,vt rectitudo eius & veritas fert. *Pura est genitrici suæ.* Iacob conspexit ipsum lectum integrum,absque labe, atque confessus laudauit Dominum,vti dictum est,adorauit Israel ad caput lecti. *Viderunt eam filiæ*, Israëlicam gentem in magnitudine sua,& beatam prædicarũt.Quænam verò est illarum collaudatio?

10 *Quæ est hæc quæ spectatur vt Aurora.* spectans è loco edito in profundum vocatur השקופה *Hashekuphá*,sic ędes sanctuarij editissima terrarum. *Vt Aurora*,quæ progressu sensim collustrat, ita Israëlitæ in æde posteriore, principio Zerobabel Dux erat Iudæ

& non Rex, erántque nostri subditi Persis & deinde Grecis, sed postea Machabæi excusso iugo Reges facti sunt. *Formidanda vt vexillata*, formidanda fortibus suis militibus, vt castra Regum quæ vexillis insignita sunt. His omnibus commendat Deus Ecclesiam Israëlis, Pulchra es socia mea vt Tirsá. Sed hæc satis sint.

11 *In hortum nucis descendi*. Hæc adhuc sunt verba diuinæ maiestatis, ecce veni ad te in ædem hanc posteriorem, *Vt videam fructus torrentis*. vt quis sit in te honestarum actionum humor videam. *Num floruerit vitis*, an florere faciatis coram me discipulos sapientum, Scribas & Doctores. *Germinàrint mali Punicæ*, an precepta puritate plena existant. Sed quare comparati sunt Israëlitæ nuci? nempe quia nux tota lignea est, nec quid in eius medio sit, antè notum, quàm eam frangas, tum enim reperitur plena nucleis edulibus. Ita Israëlitæ humiles sunt, modestáque eorum opera. Philosophi, qui inter illos sunt latent, nec illorũ laudes vulgo magnopere celebrantur. atqui si scrutêris, multos in eis inuenies sapiẽtiæ thesauros. Sunt præterea multæ aliæ in hanc nucem allegoriæ. cadit in lutum nec tamẽ nucleus, quem putamine suo complectitur, maculam contra-

hit. Similiter Iſraelitæ exulant inter profanos cæduntúrque plagis multis: cùm tamẽ illorum opera minimè damnentur.

12 *Neſciui*. Eccleſia Iſraëlica deplorans, neſciui, ait, cauere à peccato. cùm enim verſarer in gloria & magnitudine, incidi in odium gratuitum atque ſeditionem. inualeſcente enim in Reges familiæ Macchabæorum Hircanum & Ariſtobulum ambitione, alter eorum in me Romanum Imperium induxit, & ſeruus illi factus ab eius manu regno inaugurari voluit. Illo ex tempore *anima mea poſuit me* vt eſſem *currus* †ſuper quos veherentur reliquatum gentium principatus. Hammi nadib.q.populi principis. Idem ſcilicet quod עם נריב *Hamnadib*, Iod ſuperfluente, vt in ſequentibus vocibus שוכני *Shocheni* habitator rubi, גנובתי *Ghenubti* furtum diei, רבתי *Rabbathi* multa populo. *Anima mea poſuit me*, ego illos mihimet præpoſui, iuxta illud, Docuiſti eos ſuper te, vt eſſent duces in caput tuum. Hier.13.

† Heb. ad vehendum ſuper me principatus ſeu voluntates gentium.

COMMENTARII ABBEN *Ezræ In 6. Cap. Cant. & primum vocum explicatio.*

1 VT *Tirſa*. nomen ciuitatis, quam inuenies in hiſtoria Achabi. *Formida-*

bilis ex qua terror in spectantes manat, vt alibi formidabilis & metuendus. *Vt vexillata*.vt castra habentia vexillum.

5 *Extulerunt me*, הרהיבוני *Hirhibúni* potentiores sunt me, mihi robur & dominationem adimunt, vt, quæ dolat רהב *robur*. & Psal. 90. ורהבם *Verohbam*, robur eorum labor & vanitas.

Es. 51.

11 *Nucis*, אגוז *Egoz* nucem significare cõstat ex scriptis Maiorum nostrorum beatæ recordationis. *Fructus torrentis* אבים *Ibbim* sunt fructus, vt in Daniele, אנביח *Inbeh* fructus eius multus, & alibi, dũ adhuc est באבו *beibbo* in fructu suo nõ excindetur. sunt qui interpretãtur fructus præmaturos, ab אביב *Abib*, spica, & אב *Ab* mense Quintili.

Dan. 3.
Iob 8.

12 H*ammi* N*adib*.duabus dictionibus.porrò quidã tradunt iod vocis H*ammi* seu עמי aduentitium esse per paragogem, instar iod loci sequẽtis, בני *beni*, filius asinæ eius. atqui accõmodatius est, vt י in exemplo בני *beni*, quod citant, paragogicum non sit.

Interpretatio Dramatis.

2 D*ilectus meus descendit in hortum suum*, nempe præmonitus à Sponsa, vti iam exposui, Veniat dilectus meus in hortum suum. porrò cùm surrexisset, sequuta

eſt illum. is vbi eam vidit, pulchra es, inquit, ſocia mea, pilus tuus & dentes tui etiam ſicut fragmen mali Punici, hoc ſenſu, tu dilecta mea es priſca, nec mihi cum alia cõmutaberis, quia ecce pilus tuus, dentes, temporáque tua certiſſimæ ſunt tui notæ: nec rationi conſentaneum eſt, vt cum alia confundare, cùm præſertim vna ſis in mundo, nec vlla ſit tibi ſimilis. ſunt quidem Salomoni ſexaginta Reginæ, concubinæ octoginta, virginéſque innumerabiles, verumtamen earum nulla ad tui ſimilitudinem accedit. vna enim es matri tuæ.

Allegoria.

2 *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum.* is qui aſcẽderat ſurſum (ſéque ſubduxerat) *vt paſcat in hortis & colligat lilia.* ipſe enim habitat cum angelis qui iuſti ſunt.

3 *Ego dilecti mei.* etſi deſcendit dilectus meus, ait ſynagoga Iſraëlica, in hortũ ſuum, tamen ego illius ſum, & ipſe meus eſt. cui diuinitas, Pulchra es. populum ſignificans, quem reduxit in æde poſteriore.

5 *Auerte oculos tuos à me.* deſierat enim Prophetia in templo ſecundo, vt prædixit Daniel hac oratione, ad obſignandam viſionem & Prophetiam. vide Commentaria meá ad librũ Danielis. *Pilus tuus.* erant enim

in æde secunda Nazarei. *Dentes tui*, fortes tui. *Tempus tuum*, sacerdotes. *sexaginta*. Interpretes referũt 60. *&* 80. ad filios Noë & filios Abrahæ atq; Esaú nepotis eius. *Virgines innumerabiles*, quibus nulla inest nobilitas aut stemma. *Vna est*, vt, gens vna in terra.

10 *Quæ est hæc quæ spectatur*, vt suprà, quæ est hæc quæ ascendit è deserto. hoc pertinet ad Machabæos, quorum temporibus regnum vigebat in æde secũda. *In hortum nucum descendi*. subiicit Dominus allegoriam de Ecclesia Israëlica, cuius fructus non antè apparet, quâm fracta sit. aduersum quod scriptum est, Incrassatus est Israël & recalcitrauit. spectaui, vt cernerem an floruisset vinea, an in Israële iusti essent, syncero & recto corde.

12 *Nesciui*, Ego Ecclesia Israëlica non sensi, donec posuit me anima mea quadrigas Hammi nadib, hoc est, male animã meam affeci, tãtisper dum currus aliis effecta sum. contrà quàm alibi scriptum est, Tunc super excelsa eorum incedes & inequitare faciam te excelsa terræ. Alluditur ad odium illud gratuitum, quod exortum est tẽpore ædis posterioris, ex quo enatum est exilium hoc, quo hodie Israëlitæ opprimimur.

Bellum ciuile.

COM.

COMMMENT. R.
innominati.

2 D*Ilectus meus descendit in hortum suum.* pro more suo,&c.

3 *Ego dilecto meo & dilectus meus mihi.* Ne putetis coniunctum iri vobiscum dilectum meum,qui pascit in liliis, cuius odor manat perinde ac si pastus fuisset inter lilia.

4 *Pulchra es amica mea.* Audierat dilectus verba,quibus Spōsa ipsum laudauerat. Itaque ipse etiam laude exornat eam.*Sicut Tirsa*,vrbs nobilis & elegans,*sicut Hierusalem.* & proinde huic illam comparat,&vicissim hanc illi assimilat.*Terribilis*,איומה *Aiummá* à terrore nomen habet.

5 *Auerte oculos tuos à me*, conuerte eos in partem mihi aduersam,ne videas me. *Insolentem fecerunt me:* הרהיב *Hirhib*, declarat elationem & eleuationem. *Quæ apparuerunt* גלש *Galas* significat detrahi & descēdere è loco superiore in inferiorē.Hinc Chaldęus בגבחתו *Begabbahto* interpretatur בגלושותיה *Biglusutheh*.Capræ porriguntur in rectum connexione,neque dispergūtur huc illuc.

6 *Et orba non est in eis*,nulla earum deest è suo ordine.

7 *Tanquam fragmen mali Punici*, sicut seg-

mentum mali Punici, quod formosum est, sic speciosa est gena tua, id est, pudore offusa est.

8 *Sexaginta sunt Reginæ*.q.d. etsi sexaginta & octoginta fuerint siue concubinæ siue virgines, aut absque numero, tamen vna est colūba mea, nobilissima omnium, in cunctis enim nulla ei est par.

9 *Viderunt eam filiæ* Hierusalem *& beatissimam prædicauerunt*. & quidnam dicunt?

10 *Quæ est ista quæ prospicitur sicut Aurora, &c.* נשקפה quæ cernitur, quæ apparet, quasi Aurora, quæ progressu augescentem habet splendorem & lumen.

11 *In hortum nucum descendi*. Verba dilectæ ad dilectum. descendere in hortum nucum aliquando cupiebam, vt conspicerem fructus vallium, illic vt accommodarem locum, in quo ambo oblectaremus nos.

12 Nesciui autem cò rectà peruenire & erraui de via vsque adeo, vt anima & cupiditas mea, qua ducebar ad illuc proficiscēdum, traduxerit posueritque me in medio quadrigarum † populi inclyti.

† Hoc sonat Amminadab.

COMMENTARIVS R. SElomonis in 7.cap.Cant.

1 REdi, redi ô Sullamith. Mihi, vt etiã atq; etiam redeã, pedémq; à Domino deferam, aiunt. ô *Sullamith*, ô quæ perfecta es erga eum, redi ad nos & contemplabimur te, constituemus ex te principes & dominatores fidos, quos, vt alicubi scriptum est, è populo vniuerso delegeris. Hæc deras seu allegorica interpretatio R. Tanhumá. Glossemate alio, *Contemplabimur te*, attendemus ad eam magnitudinem & dignitatem qua te debeamus prosequi. Quibus Ecclesia. *Quid spectabitis in Sullamitide*? quam dignitatem determinabitis mihi, quæ sit meæ magnitudini par, aut vexillis chori copiarum, quæ erant in deserto?

2 *Quàm pulchri sunt gressus tui*. In ascensu festorum ô filia principis. *Circuitus femorum tuorum tanquam monilia*. conceruatio ornamentorum aureorum vocatur חלי כתם *Hbalí Kéthem*, monile aureũ. al haly lingua Arabica. Id doctores nostri exposuerunt de foraminibus fistularum, quibus libatur, quæque iam inde factæ sunt à sex diebus orbis conditi rotundæ, vt femur. Interpretantur חלאים *Hbalaim* de significatu fodiendi, vt

חוליות חבור *Hhuliuth Habbor*, ambitus cau' putei. *Opus manuum artificis.* manuum Dei Opt. Max. hæc in Talmud tractatu de tabernaculis. Porrò encomiũ quo Israelis Ecclesia Dominum celebrabat, è summis ad ima progrediebatur, hoc exordio, *Caput eius aurum obrizum*, sensim delabẽs ad *crura eius columnæ marmoris*, quòd ad volũtatem eius demittatur diuina ipsius maiestas è summis ad infima. Contrà ipse præconium Ecclesiæ recenset ab imis ad summa. Quàm pulchri sunt gressus tui, nempe pedes, loco & ordine perueniens ad *Caput tuum super te sicut Carmelus*, quousque eam ad se pertraxerit.

3 *Vmbilicus tuus crater rotunditatis.* vmbilicus tuus vt crater aquarum profundarũ, in quibus se lauant, ẽstq; vas confectum è lapidibus marmoreis. Sic etiam lingua Arabica vocatur סהר *Saar.* Vmbilicũ autẽ, quoniam est veluti foramen rotũdum, comparat crateri rotundo. hæc verò laudatio nihil attingit fœminæ pulchritudinem, vt superior. Illa enim superiore dilectus collaudabat eã, cum hæc sit sociarum ipsam ab operibus bonis commendantium & dicentium, consentaneum est, vt nobiscum coniungare. Allegoria autem refertur ad † sedem quadro lapide excisam, quæ in medio terræ seu

† Sedem & tribunal iudicij.

vmbilico ſita eſt. *Non deeſt mixtio*, nō conſumitur inde potus, nō inde ſeparātur aut deſunt vlla doctrinæ verba. *Venter tuus aceruus tritici*, quo omnes indigent. *Septus liliis*, munitus & ſeptus liliorum ſepe. ſufficit ei ſepes tenuis, nec vllus ex vobis eſt, qui eam perrumpat ingreſſus cauſa. Ecce ſponſus ingreditur in thalamum, cor eius meditatur thalamum, & præ ardore ſpōſaliorum ſuorum ad mundandam eam accedit. Reſpondet Eccleſia, guttam ſanguinis, inſtar ſinapi vidi & ecce vertit vultum in partem aliam, nec momordit eum ſerpens neque ſcorpio pupugit illum. ſanè cum pertranſiit viam, conſpectis in vertice ficuum primitiuis, tetendit manum ſuam vt ea acciperet, immò verò inquiunt Iſraeli, extendit manum ſuam ad diripiendum. Ecce ſeptus eſt liliis.

4 *Duo vbera tua*. duæ tabulæ, gloſſemate alio, Rex & ſummus Pōtifex. *Collum tuum*, templum & altare quæ erecta editáq; ſunt, item † ſedes iudiciaria, ibi ad robur confecta ſunt & clypei loco, ſicut turris eboris. † Sedes quadrata.

5 *Oculi tui piſcinæ in Heſbon*, quæ attrahunt aquas, ita oculi tui ad portam Bath rabbim. i. ſapiētes tui qui ſedent in portis Ieruſalem vrbis habētis Rabbim (multos ſeu multum populum) & occupantur in ratione reuolu-

tionum & ſyderum. Sapientia & eruditio ſunt oculi populorum, qui attrahunt, vt piſcinæ, aquas. licet præterea ברכה *Berechá*, quod pro piſcina accepimus, exponere columbas, vſu Thalmudico, qui accipit, inquiunt, colūbos nidi, euolare facit primum בריכה, columbam, vernaculè *couuee*.

6 *Naſus tuus.* אפך *Appéch* vultus tuus, vt turris Libani. Non poſſum אפך *Appéch* accipere pro nare ſiue ſpectes ſenſum, ſiue allegoriam. quæ enim ſpeciei laus, ſi habeas narem magnam & eleuatam turris inſtar? Itaque hac voce faciē intelligo. Idque quia locutus eſt numero ſingulari, non plurali. Nam de fronte ipſe loquitur, quæ præcipua

Eſ.3. eſt vultus inſpectio iuxta illud Eſaiæ, inſpectio vultus eorum in illos loquitur. Intelligis enim vt in collaudanda ea progrediatur ab imis ad ſumma. Oculi tui piſcinæ in Heſbō, deinde frons tua vt turris Libani. à qua etiā

Ezec.3. apud Ezechielem gentes commēdant eam, frons tua valida aduerſum frōtem omnium eorum, qui veniūt, vt depaſcantur & ſeducant te. *Vt turris Libani, quæ Damaſcum ſpectat.* hæc eſt domus ſaltus Libani (vt legi in Midras) quam conſtruxit Salomon, à cuius faſtigio ſpectator numerare poteſt, quot domus ſint Damaſci. Gloſſemate alio, facies

tua ſpectat faciem Damaſci, contemplans vt portæ Ieruſalem ad Damaſcum vſq; exporrigantur, dilatanda enim eſt ad vſque Damaſcum.

6 *Caput tuum ſuper te tãquam* Carmelus. hæc ſunt phylacteria, quæ ponũtur in capite, de quibus ſcriptum, Et viderunt omnes populi terræ, quòd nomen Domini inuocatum ſit ſuper te, & à te metuent. Robur itaque & terror eorum eſt veluti rupes montiũ. Carmelus autem ſignificat mõtium faſtigium. *Et coma capitis tui.* דלת *Dallath* cincinnatio capillorum Nazareorum tuorũ, iuxta præſcriptum ſuum æque pulchra eſt, atque purpuræ complicatio. ſic autem appellatur, quia implicatio in capitis ſublimitate tenuis eſt admodum. *Rex alligatus canalibus*. Heb. ברהטים *Barehatím*, nomen Dei alligatum eſt cincinnis, quia ſcriptum eſt, Corona Dei ſui in capite eius. רהטים enim, vernaculè ſignificat *les creins*, ſic vocant pilos baltheorum, quibus ligãt cingulos. Expoſitione alia *Rex alligatus*. Deus optimus ligatus eſt amore, mandatis & beneplacito, quibus coram eo accepti eſtis.

7 *Quàm pulchra es & quàm iucunda*. poſtquam ſpeciatim attulit commendationem mẽbri cuiuſque, iam vniuerſè omnia com-

plectens,quā pulchra es,inquit, tota,quámque ſuauis vt tibi amore adhæreſcam, quo oblectare ſeſe conuenit.

8 *Hæc ſtatura tua ſimilis eſt palmæ.* vidimus venuſtatem ſtaturæ tuæ temporibus Nabugdonozoris.omnes enim nationes incuruabant ſe & procidebant ſimulachro.tu verò conſiſtebas ſtaturâ erecta, vt hæc palma. *Et mammæ tuæ botris.* Daniel,Hananias,Miſaël & Azarias, qui tibi aderant vberum loco, ex quibus ſugeres, ſimiles erant botris, qui effundunt potum.Hi enim ſimiliter redundabant lactando & docēdo omnes nullum eſſe † timorem ſimilem veſtri. Hactenus collaudarunt eam gentes, deinceps verò ſequuntur verba Domini ad exules Iſraëlicos,qui ſunt inter gentes.

†Deum.

9 *Dixi aſcendam in hanc palmam.* glorior apud exercitus celeſtes de vobis,quod opera veſtra ſubuehar & ſanctus habear in his inferioribus.ſanctificatis enim nomen meū inter gentes. *Apprehendam ramos eius.* prehendam ego & inhæreſcam vobis.ſunt autem סנסנים *Sanſinnim* rami. *Et ſint quæſo vbera tua.* nunc confirma verba mea,vt non ſequare cultum gentium, & boni atque ſapientes, qui apud te ſunt, in fide ſua perſiſtant,& iis reſpondeant,qui ſeducere te vo-

lucrint, paruulósque tuos doceant.

10 *Et palatum tuum sit sicut vinum bonum.* mone reſpõſionibus tuis vt ſint ſicut vinum generoſum. *Quod it ad dilectum meum ad rectitudines*, vt ego vobis reſpondeam (clamat Eccleſia) teſtor me in fide mea permanſuram, vt incedat palatum meum coram dilecto meo in dilectione rectitudinis, quæ ex corde eſt, abſque dolo & fraude, ſicut vinũ generoſum. *Quod eloqui facit labia dormientium.* eo delectãtur vel patres in ſepulchro, & confitentur ſuper portione ſua. רובב *Dobeb* loqui facit & cõmouet, vernaculè *Promer.* præcipua autem verbi huius vis in loquendo poſita eſt. Reſponſio ſequitur.

11 *Ego dilecti mei ſum*, & ipſe etiam appetit me.

12 *Age dilecte mi, egrediamur rus.* verba Eccleſiæ Iſraëlicæ, ô dominator mundi ne me eo pacto iudices, quo illos qui habitant in arcibus, in quibus ineſt rapina & inceſtus, ſed quò habitatores pagorũ, qui operâ ſuâ victum tolerant, quíque occupantur in lege, propter afflictiones. *Pernoctemus in pagis.* Heb. בכפרים *Backepharim*, hoc eſt, ſi nominis alluſionem ſpectes בכופרים *Bacchopherim*, cum negatoribus & atheis, hoc ſenſu, age monſtrem tibi queſo filios Eſaü, qui-

Vrbibus muniti.

bus abunde suppeditasti bona, & tamen te tuámque prouidentiam negant.

13 *Mane surgemus ad vineas.* Ecclesias & Academias. *Videbimus an floruerit vinea.* qui versati sunt in scriptura. *Aperta sit gemma.* aperitur gemma cùm flos excidit & vuæ internoscũtur. Huic comparat eos, qui versantur in Misna seu cõtextu Talmudico, à quibus in doctrina legis vtilitatẽ capere proximum est. *Floruerint mali Punicæ,* הנצו *Henitsu* effloruerint, cùm mala punica perfecta sunt & flos, quem circum se habent, cadit, efflorẽt .i. florem amittũt. His comparat doctores Talmudicos, qui sapientia sunt absoluta & ingenio ad docendũ instructissimo. *Ibi dabo amores meos.* Ibi tibi ostendam gloriam meam & magnitudinem, honorem filiorum meorum filiarúmque.

14 *Mãdragoræ dederunt odorem.* דודאים *Dudaim* significat & sportam, sportæ ficuum bonarum & malarum spirarunt odorem, in quam sententiam dictum est, Ostendit mi- Ierem. 24.
hi Dominus, & ecce duæ דודאי *Dudaæ* sportæ ficuum, &c. sporta vna bonarum, &c. sporta altera ficuum noxiarum admodum, quæ non comeduntur, quales sunt præuaricatores Israëlis. Iam ambo dederunt odorem. vterque enim quærit faciem tuam. *Et*

in portis nostris omnes fructuũ deliciæ.† In manibus nostris est merces mãdatorum complurium. *Nouæ, etiam veteres*, renouarunt enim Scribę cũ veteribus quę ad me scripserant. *Recondidi tibi.* nomini & cultui tuo recõdidi ea apud me, aut glossemate alio, recondidi, vt tibi ostenderẽ me ea impleuisse.

† In promptu.

COMMENTARII R. ABben *Ezræ In 7. cap. Cant.*

1 O *Sullamith.* ô tu quæ es è Salem, hinc est Ierusalẽ, cuius notatio est, si interpretẽris, timete Salem. *Tanquam chorum castrorum.* מחולת *Mehholath* significat chorum, vt, tympanum & fistula ומחול *Vmahhol*, & chorus.

2 *Circuitus femorũ eius.* Heb. חמוקי *Hhamuhé*, dicũt significare locũ in quo femur vertitur, & sic exponũt illud Ieremiæ תתחמקין *Thithammekin* vertes te, & supra, חמק *Hhamák* verterat se, transierat. *Tanquam monilia.* חלאים *Hhalaim*, plurale est à sing. וחליכתם *Vahali kéthem*, & monile aureum. quale est צבאים *Tsebaim* capreæ, à singulari צבי *Tsebi. Artificis.* ita enim accipi debet אמן *Omman.* quæ significatio nota est.

3 *Vmbilicus tuus.* שררך *Shoreréch* signifi-

cat vmbilicum, vt medicina erit לשרך *Leshorech* vmbilico tuo. *Crater.* אגן *Aggan*, vasis rotundi genus, vt & posuit באגנות *Beagganoth*, In crateris. *Rotunditatis.* In Chaldæa interpretatione סהר *Saar*, quæ vox hîc reperitur, Lunam significat. & sic השהרונים *Hassahronim*, in Esaia sunt specula ad Lunæ similitudinem, atque etiam ita vocãtur apud Ismaelitas. *Mixtio.* מזג *Mezeg* mixtionem significat, vt constat ex lingua Doctorum nostrorum, vt, מזג *Mazag* miscuit vinum suum. alij exponunt ex loci exigentia, vt paulò post explicaturus sum. Nam alibi in scriptura ei simile non reperitur. *Septa,* סוגה *Sugá*, vt in scriptis Doctorum nostrorum סייג *Sÿag.* sepes.

6 *Sicut Carmelus.* Carmelus quibusdam est mons in scriptura celebratus. sed illi falluntur, significat enim colorem quendam, vt in libris Paralip. vbi scriptum est, & carmel cum purpura. *In canalibus.* רהטים *Rehatim* canales significat, vt in Genesi ברהטים *Barehatim* in canalibus, in aquæ ductibus, ita appellantur loca, quæ eo facta sunt vt illuc aquæ confluant. *Et coma.* דלת *Dallath* lingua Ismaelica sonat extremitatem capilli.

9 *Ramos eius.* si esses illi similis. sunt autem

סנסנים *Sansinním* rami summi, in quibus est fructus.

10 *In rectitudines*. epithetum vini, vt ambulat in rectitudinibus, id est, generosè. *loquifaciens*. דובב *Dobeb*, de significatu locutionis, atque inde forte דבה *Dibbá* oblocutio, detractio. In Prouerbiis.

11 *Appetitio eius*. תשוקתו *Teshukathó*, vt in Genesi, & ad virum tuum תשוקתך *Teshukathech* appetitus tuus.

13 *Amores meos*. דודי *Dodai*, amores meos, aut, vt aliis placet, saliuam linguæ meæ.

14 *Mandragoræ*, *stirps* in speciem formæ humanæ.

INTERPRETATIO
altera, nempe Dramatica.

1 QVi vident me, inquit Sponsa, mirantur & aiunt, quæ est hæc, quæ spectatur vt Aurora? Quibus respondi me ad hortum nucis descendisse, deinde nesciuisse, cuius loci sententia est hęc, miror vt non senserim neque perceperim me ad te quã celeriter peruenisse, vt quadrigas Hammi nadib, maximi scilicet, qui sit in populo meo, omnibus qui contemplabantur, ad me conclamantibus, redi, redi, inquam, ô Sup. cap.

Sullamith. Quibus ego; Quid spectabitis in Sullamitide, vt vos omnes exire oportuerit ad eam cōtemplandam non secus atque certatim aut cum pompa duæ acies exeunt in occursum Regis sui.

2 *Circuitus femorum tuorum.* Indicat Salomon femora sponsæ superinduta fuisse variis monilium generibus.

3 *Vmbilicus tuus.* verti mea quidem sententia debet per defectionem præpositionis, in vmbilico tuo, vt hæc sit constructio, Baltheus est in vmbilico eius, cingulus in lumbis eius, in quo inest species Lunæ. vbi autem comparauit eam cum Luna, quatenus plena est, diuersitatem subiicit, tuæ huius Lunæ lumen nunquam deficit, vt lux Lunæ postquam perfecta est, extinguitur. *Venter tuus aceruus tritici.* foris enim apparet tanquam aceruus tritici, infernè crassus, supernè tenuis. *Septus liliis.* aceruus iste non conspicitur, quòd lilia sint in circuitu eius.

5 *Naris tua vt turris Libani.* turris illa æqualis erat absque obliquitate. *Caput tuum super te sicut Carmelus.* sicut color nomine Carmel, nempe puniceus, & vt purpureus color est in ipsa nari. *Rex alligatus canalibus.* comparat capillos, quorum alter alteri subest, aquis canalium. Rex autem est caput,

aut ſignificatur, regem cupere vinciri & ligari funibus capillitij eius. hanc expoſitionem recenſent principes Cedar, qui amatoriis indulgent.

6 *Quàm pulchra es*. in orbe nihil eſt ſuauius, pulchrius atq; dulcius deſiderio & amore.

8 *Hæc ſtatura tua ſimilis palmæ & botris*. Botri ſunt racemi vineæ, quæ vna cum palma arbore ſurſũ ſublata eſt. Quę ſequuntur

9 *Aſcendam in hanc palmam, & prehendam ramos eius*, verba ſunt illorum qui cupiditate anguntur eius potiundæ, prehenſis vberibus eius & olfacta eius nare, quæ odorem pomi ſpirat.

10 *Et palatum tuum*, ſaliua quæ ſub lingua tua eſt, ſimilis eſt vino, quod rectà ambulat, & ad loquẽdum impellit dormientem. Vſque adeò animum exhilarat & cor excitat. Prouer. 23.

11 His reſpondi, inquit puella, *Ego ſum dilecti mei* ſolius, non veſtra ô qui mei cupiditate ducimini. *Et ad me deſiderium eius*, vt exequatur voluntatem ſuam.

12 Sed nunc age *Dilecte mi egrediamur rus pernoctemus in villis*. In hac aliqua villa, nec adeamus vrbes, vbi verò terris orta fuerit Aurora

13 *Mane ſurgemus* & in loco, quem ſuauitate odoris fragrantem comperiemus. *Dabo*

Quem suaueolentem esse par est. *amores meos.* quã phrasim vsurpat Ieremias etsi contrariam in sentẽtiam, dedi amorem
Ier.12. animæ meæ.

14 *Mandragoræ dederunt odorem, ac in portis nostris omnes fructuum deliciæ*, adiectus oris ad os. Concupiui, inquit Ecclesia, palam & aperte osculari os tuum, neque vereor, vt proinde in hominum oculis sim despicatui, vnde subiicit. *Quis dabit te vt fratrem mihi.*

Allegoria.

1 *Redi, Redi.* hoc de venturis temporibus dicitur, cùm Dominus reducet captiuitatem Sion. *Quid spectabitis in Sullamitide*: huic loco quadrat, quod concionatur
Esa.44. Esaïas, montes & colles efferent ante vos iubilationem.

2 *Quàm pulchri sunt gressus tui.* ascendent enim Israelitæ ex omnibus locis, dicẽte scri-
† 71. Iudicum. ptura, quænam istæ sunt, quæ vt nubes volant. *Vmbilicus tuus.* † senatus maior, vt di-
† 31. Iudicũ. midium areæ rotundæ. *Venter tuus*, † senatus minor.

4 *Duo vbera tua*, duæ leges: *Collum tuum* rex Christus.

5 *Oculi tui*, Prophetæ, qui initio erant *in Hesbon*. i. certo numero, iam erunt plurimi, vt prędixit Ioel, postea effundam spiritũ

in omnem

in omnem carnem & vaticinabuntur. *Naris tua* Sacerdos maximus, iuxta illud, ponēt incensum in nari tua.
6 *Caput tuum super te sicut Carmelus.* hic est † Nehemias filius Vzielis de filiis Iosephi. *Et coma capitis tui.* is est Elias. *Rex alligatus canalibus.* Christus, qui est ligatus, quemadmodum traditū reliquerunt maiores nostri, quòd quo die diruta est Ierusale,m natus sit.
7 *Quàm pulchra es*; restituetur enim Ecclesia Israelitica ad pristinam suam magnitudinem.
8 *Hæc statura tua similis est palmæ.* significat vniuersum populum Ecclesiæ iustum fore, vt scribitur, Iustus vt palma florebit.
9 *Et odor naris tuæ.* Sacerdos summus, qui sacrificat holocausta & adolet.
10 *Palatum tuum*, cantica.
11 *Ego dilecti mei.* pars enim Domini pópulus eius.
12 *Agé dilecte mî*, vbi inspexeris vineas, hoc est, Israelitas, contemplaberis an vitis floruerit. Hinc exscripserunt sapientes nostri, quæ sequuntur, verba. Si Israelitæ egerint pœnitentiam redempti sunt: Sin minus, illis imponitur rex, cuius decreta sint veluti decreta † Hamanis & redimentur. Vides vt Mandragoræ dederint odorem, cōiunctíque sint

† Alius ab eo cuius liber extat inter sacros.

† De hoc in Ester.

hi ſancti noui cum ſanctis patrum veterũ, vti ſignificatur fructuum deliciis nouis & veteribus.

COMMENT. R. INNOMINATI.

1 DIxerunt autem mihi, qui me ſpectabant, *Reuertere, reuertere Sullamitis*, id eſt, filia Ieruſalem. Hieruſalem enim quondam dicebatur Salem. Inde ergo Salemonia, ſiue Sullamith appellatur. *Et intuebimur te.* ſpectabimus ſpeciem & elegantiã tuam. Reſpondi verò, *Quid videbitis.* q. d. quam pulchritudinem poteritis in me conſpicere nunc, quemadmodum conſpiciebatis *in choro caſtrorum.* Eram enim ornata in mediis caſtrorum virginalium choris, & ibi videbatis meam pulchritudinem. Nũc verò occupata ſum eundo. Quid igitur pulchritudinis poteritis in me contemplari?
2 Ipſi autem reſponderunt, *Quàm pulchri ſunt greſſus tui*, hanc formoſitatem in te cernimus, *Greſſus tui in calceis*. pedes tui formoſi ſunt intra calceos tuos. Incipit autẽ eã celebrare à pedibus. *Iunctura femorum tuorum.* חמוקי *Hhammuké* latebræ femorum tuorum. *Sicut monilia.* חלאים *Hhallaim* genera ſunt gemmarum.

3 *Vmbilicus tuus*. Vmbilicus tuus similis est crateri argenteo rotundo, pleno vini rubicundi, quod est dilutum aquis. אגן *Aggan* craterē significat, vt, וישם באגנות *Vaijasem baagannoth*. *Tornatilis* סהר *Saar* rotundus, quemadmodum Luna. Chaldęa Paraphrasis Lunam appellat סהרא *Sahra*. *Non deficit mixtio* è patera, sed perpetuò plena est vino mixto, túmq; valde apparet elegās. *Aceruus tritici*, qui latùs est infernè, angustatur autem vertice, éstque aceruus ille septus liliis.

4 *Sicut turris eburnea*. שן *Shen*, os est elephātinum. *Oculi tui sicut piscinæ*, sicut fontes aquarum, qui erant *in Hesebon iuxta portam filiæ multitudinis*. Hesebon locus est certus. Quia autem fontes habebat insignes, qui & celebrabantur ob pulchritudinem, proinde illis comparātur oculi Sponsę. *Nasus tuus sicut turris*. Nasus tuus erectus, est æqualiter & directè *sicut turris Libani*. Ipse enim Libanus prospectat superficiē Damasci. Hæc autem turris illa tempestate nota erat.

5 *Sicut Carmelus*, sicut mons Carmelus, qui est montium pulcherrimus. *Ecce comæ capitis tui*. דלת *Dalloth*, sunt pili tenues & subtiles, qui deorsum decumbunt.

Rex alligatus canalibus, רהיטים *Rehitim* trabes significat, vt sup. primo cap. trabes no-

ſtræ abiegnæ; iuxta quam ſignificationem ſententia eſt hæc. Etiam Rex cupit alligari & aſtringi trabibus domus tuæ, vt aſſiduè contempletur pulchritudinem tuam. Sic interpretatur R. Dauid Kimhi. Præterea licet ſumere in ſignificatione loci Geneſeos, ברהטים *Barehatim* in canalibus, in aquæ ductu. Atque ita vocabulum hîc declarabit tubos, qui extant in ædibus, vt aquas pluuias extrorſum mittant. In illis autem canalibus cupit Rex vinciri atque ligari, vt proſpiciat ſpeciem ipſius.

Gen.33.

6 *Quam pulchra & quàm dulcis*. Hactenus dilecta dilecto expoſuit quæ & qualia ſibi dixiſſent, qui occurrerẽt, vbi ipſam fuiſſent cõtemplati. Nũc dilectus ei reſpõdet & ait. Quàm pulchra es & quàm ſuauis ô dilectio, dum vnà fruimur delitiis.

7 Et *Vbera tua* ſimilia ſunt duobus botris palmarum.

8 *Fructus eius*. סנסניו *Sanſinnau* ramos eius. *Et ſint vbera tua* duo mihi ſimilia duob' botris vineæ.

9 *Et palatum tuum* fragrat, *ſicut vinum optimum* tendens rectà ad dilectum meum, ſic palatum tuum aſcẽdit ad dilectionẽ meã & eripit mihi mentem, velut vinum generoſum. in illum enim, qui illud potat, rectâ in-

cedit. *Loquens* palatum tuum, labia dormientium. דובב *Dobeb* loquens.

10 *Dilecto meo*. respondet dilecta dilecto.

11 *Veni & exeamus in agrum & pernoctabimus in villis*, in loco vbi non est hominum turba & multitudo, prope scilicet vineas, vt possimus mane surgere & deambulare in vineis, vt lætemur quo voluerimus tempore.

13 *Mandragoras* videbimus, num odorem dederint. *Dilectionem meam seruaui tibi*, amorem meum non reuelaui alteri proco, sed recondidi & pudicum seruaui tibi.

COMMENTARIVS R.

Selomonis in 8. cap. Cant.

1 QVis det te tanquam fratrem mihi. vt venias consolatum me, quemadmodum Ioseph fratres suos, qui tamen de illo male erant meriti. scriptum enim, Et consolatus est eos. *Inuenirem te foris, oscularer te.* inuenirem vates tuos nomine tuo loquentes, amplecterer & oscularer eos, sat sciens me ab illis non habendam despicatui. Dignus enim est amor tuus vt dilecta tua circumeat ad assequendum * illum. Gen.50.

2 *In domum matris meæ*, ædem sanctuarij. * Amorem scil.

Doceres me vt solitus es facere in tabernaculo conuentus seu fœderis. *Propinarem tibi è vino pigmentato* libamina. *E musto*, vino dulci.

3.4. *Sinistra eius sub capite meo. Adiuro vos.* Iam Ecclesia Israëlica conuertit suum ad gentes sermonem, etiam si lugeam & plorem, tamen dilectus meus firmiter sustinet manum meam, mihíque in exilio meo fulcrum est, & proinde adiuro vos, *Quid excitabitis & quid expergefacietis.* nihil enim proderit vobis.

5 *Quæ est hæc.* Deus térque quatérque fœlix & confessus eius de Ecclesia Israëlis ita inter se colloquuntur, quænam est hæc, quámque illustris quæ è deserto ascēdit tam pręstātibus donis prędita? illic euecta est dono legis & præsentia diuinitatis, atque apparuit dilectio & fauor eius omnibus, & etiam num in exilio adhærescit dilecto suo. *Innitens dilecto suo.* מתרפקת *Mithrappéked*, sociata dilecto suo, profitens se eius sociam & coniugem, nam רפק *Raphak* hoc significat Ismaëlicè, hinc Raphakta, socia. *sub pomo excitaui te.* hæc ita loquitur petens dilectionem dilecti sui. sub pomo excitaui te, recordare queso vt ad radices montis Sinaï, qui tāquam pomus imminebat capiti meo,

excitauerim te. Hæc locutio eſt amantis fœminæ quæ puella nupſit, quæque dilectum excitatum noctu inter dormitandum amplectitur atque deoſculatur. *Ibi enixa eſt te mater tua.* Iam diximus Dominum Eccleſiam ſæpe vocare matris nomine. Ibi facta eſt tibi matris loco. *Enixa eſt tibi* חבלתך *hhibbelathecá* de ſignificatu חבל, *hheble*, torminum pariētis, hoc ſenſu, obuenerunt tuâ cauſâ dolores. *Tibi*, ex te, vt alibi, filij mei יצאוני *Ietſaúni* exierunt mihi, ex me.
6 *Pone me tanquam ſignaculum*. ob ipſum amorem conſigna me in corde tuo, ne mei obliuio te capiat, intelligas quàm ſollicita res ſit amor, nec minus, quàm mors, vehemēs, amor, ſcilicet, ille quo te depereo apud me eſt ex aduerſo mortis qua ego libens interimerer * ſuper te. *Durus tanquā ſepulchrū* *Propter te
zelus, & *impetus quo æmulātur & laceſſūt * Cōflictus.
me gentes tua cauſa. etenim קנאה *Kiná*, zelus, vbique ſignificat impetum cordis ad vlciſcendam iniuriam, *enfremir* vernaculè, *Ignis flammæ Dei.* Ignis vehementis qui excitatur vi flammæ infernalis. Accentus Zaleph kadol, qui ſuperſcribitur vocabulo רשפי *Riſpe* carbones, docet dictionem אש *es*, ignis, cōſtrui in genitiuo cum שלהבת יה *Shalhebeth Iáh*, flamma Domini, vt ſit ſen-

ſus, ignis flammæ Domini.
7 *Aquæ multæ non poſſunt extinguere amorem*, quia meminerat carbonum, in iiſdem perſiſtẽs, iam hæc ſubiicit, *Aquæ multæ*, populi. *Et flumina*, Duces eorum atque Reges, *non obruent eum*, vi, terrore, blanditiis, & perſuaſionibus. *Si dederit quis omnes opes domus ſuæ*. vt cum amore tuo commutet, *Contemnendo contemnent eum*. vſque adeo omnes, Deus & ſacer eius Senatus, teſtificantur Eccleſiam Iſraëlis dilecto ſuo coniunctam eſſe.
8 Nunc *ſoror eſt nobis* in inferioribus, quæ conſuta & coniuncta atque appetẽs eſt verſari nobiſcum, parua autem eſt, quoniam ſe infra reliquas omnes gẽtes deiicit, in quam ſententiam legitur, Non ex multitudine veſtra, &c. quòd ſe ipſi ſummittant, אחות, quam vertunt ſororem, eſt de agnominatione ſeu paronomaſia אִיחנוּ. ſutura rerum lacerarum, quæ non ſunt aſſutæ. *Et mammæ non ſunt ei*. ſenſum repete ex hoc loco, vbera * parata ſunt, quod dictum eſt de ſeruitute Ægyptiaca, cùm tempus redẽptionis appeteret. Ita, Mammæ non ſunt ei, hoc eſt, nondum appetiit tempus annorum eius. *Quid faciemus ſorori noſtræ, In die quo ſermo fiet de ea*. quo gentes demurmurabũt in eam,

Ezec.16.
* Aptata.

consiliáque agitabunt de ea delenda, iuxta
illud Exodi, Agite deleamus eos è gente. Exod.23.
9 *Si murus est ædificabimus*: si fortis est fide
& timore, vt aduersum eas sit veluti murus
aheneus, quem nemo perrumpat, nempe si
affinitaté cum illis non inierit, aut decepta
ab illis non fuerit, aut ipsæ inter eam non
frequentauerint, *ædificabimus super eam palatium argenteum*. erimus ei vrbis munitæ loco, coronæ, & pulchritudinis, atque ædificabimus ei vrbem sanctam & templũ prætereà eximium. *Quòd si ianua sit* quæ circa
cardinem suum voluitur, quæque pulsata
aperitur, hoc est, si ipsa ita eis pateat, vt per
eam illæ ingrediantur & ipsa per illas, *Arctabimus super eam tabulam cedrinam*. ponemus in eius ostio asseres ligneos, qui putrescunt, quósque vermis rodit & vorat. Hîc Ecclesia Israëlis
10 *Ego sum murus*, validus amore dilecti
mei. *Et mammæ meæ tanquam turres*. hæ sunt
synagogæ & scholæ quæ lac ad Legis verba
Israëlitis suggerũt, *Tunc*, cum hęc dixissem,
fui tanquam inueniens pacem. tanquam sponsa
quæ inuenitur pacifica, quæque nanciscitur
pacem in mariti sui æde.
11 *In Baal hamon vinea*. hæc est Ecclesia Israelica, de qua scribitur, Vinea Domini sa-

Ef.5. baoth domus Iſrael. *In Baal hamon*, in Ieru-
ſalem quæ eſt multa populo & hamon, mul-
titudine frequenti. Baal autem ſignificat pla
nitiem, vt, ex Baal Gad. i. planicie Gad in
Ioſ.11. campeſtribus Libani. *Dedit vineam ſuam cu-
ſtodibus*, commiſit poteſtati durorum domi-
norum Babylonij, Medi, Græci & Romani.
In Midras huius libri comperi nonnullas ra-
tiones de his cuſtodibus ſiue imperiis qua-
tuor. *Quiſque affert pro fructu eius*. quoſcunq;
poterant ab illis exigere cenſus, tributa, ve-
ctigalia, omnia extorquebant, vt in domos
ſuas afferrent.

12 *Vinea mea coram me*, die iudicii adducet
eos Dominus in ius atq; dicet, Vinea mea,
&c. etſi, inquit, dediderim eam in manibus
veſtris, mea tamen erat, & ad me peruenit
quicquid vobis de fructu eius rapuiſtis, ne-
que me latuit, quod ab ea corraſiſtis. Ipſis in-
tereà reſpondẽtibus, *Mille tibi Salomon*, mille
argenteos, quos ab illis cepimus, omnes tibi
reddimus, *Et ducenta cuſtodientibus fructum
eius*, & præterea adiungimus multa è no-
ſtro, & damus principibus atque ſapienti-
bus illorum, iuxta illud, Pro ære afferam
aurum: de retributionibus verò diſcipu-
lorum ſapientum ſcriptum eſt in Eſaïa,
Coram Domino ſedentibus erit negotiatio

eius (Tyri) eámq; tradam. Possumus etiam Esa.23.
referre hæc *Ducēta*, ad ius quod accrescit ex
sancto, quo redditur sors & prætereà quinta
eius pars. similiter nos, inquiūt, rependimus
Domino super sancto Israelis, primitias pro-
uentus eius, sortem & quintam eius partem.
Nam ducenta sunt quinta pars millenarij.
13 *Quæ habitas in hortis.* tu quæ dispersa es,
ait Dominus Ecclesiæ Israelicæ, in exilio,
pascens alios in hortis & habitans in syna-
gogis atque gymnasiis, *Socij attendunt ad vo-
cem tuam*, angeli ministerij socij tui, filij Dei,
tui similes attendūt & accedunt ad audien-
dam vocem tuam in synagogis, *Audire fac
me* & postea sanctificant, vt scriptum est in
Iob, dum laudant simul stellæ matutinæ, id
est, Israelitæ & personant omnes filij Dei.
14 *Fuge dilecte mi* ab hoc exilio & ab eorū
medio redime nos. *Et assimila tete capreolo,*
maturans redemptionē, & collocās diuinā
tuam presentiā *super montes aromatum.* mon-
tem Moriam & ædem sanctuarij, vt breui in
diebus nostris ædificetur. Amen.

COMMENTARII R. ABRAhami Abben Ezræ in 8. Cap. Cant. Cant. & primum vocum interpretatio.

2 Doceret me, Heb. תלמדני Telammedéni, verbum fœmineũm ad matrem, doceret me mater. (aliis tamen masculinum est secundæ personæ, doceres me ô Sponse.)

5 *Innitens.* מתרפקת Mithrappéked sociata: non habet simile in scriptura, sed hoc significat Ismaelica lingua. *Enixa est te*, Hebr. חבלתך Hhibbelathechá, de significatione conceptus, vt, ecce יחבל Iehabbel concipit iniquitatem. non etiam alienum vt significet parere è significatione חבלו Hheblé, dolorum parturientis.

6 *Carbones eius.* hoc sonat רשפיה Resaphéba vt Iob 5. & filii רשף Reseph, carbonis (nempe scintillæ) extulerunt volatum. *Flammæ Domini.* Hebraicè שלהבת יה Shalhébeth Iah, quæstio est inter Masorethas, sítne dictio vnica, an duæ: probabile est duas esse, adiun-

Ezec. 21. ction e nominis Dei auxesim significante, vt montes Dei. ש autem vocis שלהבת Shalhébeth essentiale est, vt in Ezechiele, scintilla שלהבת flammæ. est enim vox quadrata constans quatuor literis.

9 *Arctabimus super eam.* נצור Natsúr enim

accipi debet, vt hoc loco, וצרת *Vetſartá*, & obſidebis eam.

10 *Tanquam inueniens*. כמוצאת *Motſeth*, fœminini generis, ad normã חיוצאת, *Hatiotſeth*, quæ exit. deducitur autem à מצא *Matſá* & א more ſuo * occultatur.

11 *Baal hamon*. nomen loci vbi plurimæ erant vineæ, porrò qui ſteterit in hac * æditione, fortaſſe mirabitur, quare hîc vſus ſit lingua * Iſmaelica, nempe quoniam tãta eſt doctrinæ noſtræ breuitas, vt è lingua ſancta nihil habeamus quàm quod ſcriptum eſt in Bibliis, quódque vates neceſſe habuerunt dicere. Quo enim nõ opus habuerũt vel de nomine nobis ignotum eſt. Quoniam autẽ lingua Iſmaelica finitima eſt admodũ linguæ ſanctæ (cõiugationes enim, literæ Iehu & ſeruiles, item Niphal & Hithpaël atque conſtructio, ſiue ſyntaxis eodem modo in vtraque habent, vt & elementorum numerus, atque adeò pluſquam mediæ linguæ illius pars linguæ ſanctæ inuenitur ſimillima) ideò dictiones Biblicæ, quibus nullum coniugatum extat in ſcriptura, ſed in lingua Iſmaelica, inde fortaſſis ſuam explicationem mutuari debent. Quanquam hoc caret dubitatione. Hactenus interpretatio Cantici

Deut. 20.

*Quieſcit, tamen ſecus fit in noſtris codicibus.

* Compoſitione & libro.

*Arabica.

Canticorum, quatenus difficultas vocum ferebat.

ALTERA INTERPRETAtio, *nempe Dramatis & literæ.*

1 *QVis det te tanquam fratrem mihi.* ducerem te atque introducerem in domũ matris meæ ſpectantibus omnibus.

2 *Doceret me*. Ipſa doceret me quo pacto tibi propinare debeam vinum pigmentatũ, potioné, quæ magis eſt pigmentata & condita, quàm vinum. *Malogranati mei.* ſaliuæ quæ ſub lingua eſt, aut ſententia erit ſimpliciter ad literam accipienda. En autem dilectum & puellam ſimul, & proinde ſubiicitur

3 *Siniſtra eius ſub capite meo.*

5 *Quæ eſt hæc.* hoc Sponſa ait dilecto ſuo, ipſis ſimul in vineá, quæ dicitur hortus, iacentibus. Vidiſtíne ô Sponſe aliquandó puellam, quæ aſcenderit é deſerto, ac quæſierit iungi cum dilecto ſuo, quemadmodũ ipſa feci, præ vehementia mei erga te amoris. Ideò autem excitaui te, quia commemorabas nomẽ pomi arboris. eſt enim mei veluti ſimilis, & prætereà non concepit mater tua, neque de te alibi concaluit, quàm ſub

pomo, vt proinde odor tuus veluti pomus, quæ est inter arbores syluarum, spiret. vt & dixit initio se expetere & exoptare assidere vmbræ eius, atque vt sinistra eius capiti suo supponeretur.

6 Nunc autem dilecte mî *Pone me tanquã signaculum in corde tuo.* defige me in corde tuo. Quemadmodum adhæreſcit annulus signatorius digito, sic adhærere fac me tibi, vt sim in brachio tuo.

7 *Contemnendo contemnent eum*, sensus est, homines naso eum suspendent.

8 *Soror nobis parua.* vnus è filiis matris meæ, inquit puella, suspectam habuit me, & dixit fratribus suis, nobis soror est, quam præfecerunt custodiæ vinearum, cùm ipsa esset illo tempore paruula. *Quid faciemus sorori nostræ.* die, quo *sermo fiet de illa* collocanda.

9 *Si murus est*, si seruauit pudicitiam & virgo est, ædificabimus super eam palatium argenteum. Sententia est, ædificium nobile superstruemus muro è materia argentea, vt ille reliquos muros gloria & dignitate superet, hoc est, comparabimus illi monilia aurea, torques sponsa dignos. *Quod si ianua est*, quæ iam aperta sit, *arctabimus super eam*, adducemus eam in munitionem & claudemus eam ne videatur, antheticōs ad *palatiũ*

argenteum.nam quicumque videt ſuper muro palatium argenteum, accedere propius ad illud contemplandum ſolet.

10 *Ego murus & mammæ meæ* creuerunt & aptatæ ſunt.ſenſus eſt is,etiam ſi mammę meæ firmæ ſint, ſum tamen virgo. *Tum fui in oculis eius*, ſuſpectam habētis me.*tanquam inueniens pacem*. Initio enim exarſerat in me, iam verò nacta ſum pacem cum illo. Cæterum mirabuntur aliqui & dicent. Quid? ſi mammæ eius tanquam turres, grandes igitur. Atqui id non eſt ita accipiendū,verùm vbi ipſa comparata eſt muro, mammæ eius erunt ſicut turres, quæ ſunt comparatè ad murum exigua magnitudine.

11 *Vinea fuit Salomoni*. reuertitur Sponſa ad laudandum † animum ſuum & vehementiam amoris ſui, aitque *Vinea fuit Salomoni*, in hanc ſententiam. Ecce Salomon Rex vineam ſuam eò locauit, vt redderent ſibi cuſtodes qui illam conduxerant,pro fructu eius mille argenteos.

† ſeipſam

12 At ego non ita me exhibui, quin potiùs vinea mea coram me eſt,reuerſa autem iocans, Cape, inquit, ô Selomó mille tuos, cum interea cuſtodes, qui conduxerunt, lucrum ducentorum fecerint. Ego pecuniam nolo,non ſortē,non acceſſionē,ſed vt ſit vinea

nea mea coram me, vt in ea coniungar cum dilecto meo, quod mihi est quauis pecunia optatius. Excipit dilectus.

13 Cùm tu habitas in hortis qui sunt in medio vineæ, ne sustollas vocem tuam. siquidem socios habeo qui & ipsi ad vocem tuam attendunt. Nunc verò audire fac me & dicito mihi,

14 *Fuge dilecte mi* veluti cogitans me cum illis esse, ne me, quòd tecum hîc sim, suspectum habeant. vti initio admonuisti, Circui, assimila tete dilecte mi capreæ aut ceruorum hinnulo. Atquehic sit interpretationis secundæ finis.

EXPOSITIO TERTIA
nempe Allegorica.

1 QVis *det te tanquam fratrem mihi*: quoniam cultores Dei, quique mandata eius obsequentissimè obseruant sunt in exilio, efflagitãt ipsi vt palam iussa Domini exequi possint, atque vt redeat diuina maiestas quemadmodum initio.

2 *De vino pigmentato*, hæc est vini libatio. *sinistra eius*. holocaustum matutinũ & vespertinum. Subiicit autem Salomon Spiritu Sancto afflatus, *Adiuro vos*, vt non excitetis, quousque finis aduenerit.

5 *Quæ est hæc ascendens è deserto*, cùm erant Israëlitæ in deserto, ait Salomon, & terram ingressi sunt, in primis adiuraui eos, deinde quæ est hæc ascendẽs, hoc est, quemadmodum in tuo ab Ægypto exitu olim, ita hodie tibi mira ostendam. cùm enim ascendent Israëlitæ è desertis gẽtium, Christum, qui est dilectus, ita alloquẽtur. Scito quòd sub pomo excitauerim te, quòd vinctus & dormiens fueris, nec te nisi precibus meis soluerim, iuxta hãc Prouerbiorum sententiam. Mala aurea in figuris argenteis verbum enunciatum iuxta modos suos. verba autem mea atque orationes te veluti genuerunt.
6 *Pone me tanquam signaculum*, hæc sunt verba Ecclesiæ Israëlicæ ad Diuinam maiestatem, fac adhæream tibi in perpetuum.
7 *Aquæ multæ*, gentes quæ comparantur aquis, secũdum illud, Extrahet me ex aquis multis, & iterum, Aquæ fluminis ingentes. Similia multa in scriptura. *Si dederit quis*, vt Haman impius, ludibrio erit, quoniã non poterit euertere legem Israëlis. Dominus ipse custos est legis suæ, sicut scriptum est, custodies ea, nempe verba Domini, verba munda. hoc enim refertur ad præcedentem versiculum.

8 *Soror nobis paruula*.cùm copulabitur Ecclesia Iſraëlica dicet adhuc reliquam eſſe *ſororem vltra flumina Æthiopiæ ? aut id pertinebit ad * duas tribus & dimidiam. *In die quo ſermo fiet de ea*. In die conſolationis, hinc illud, Loquimini ad voluntatem Ieruſalem.

9 *Si murus eſt*. ſi ſeruauit ſe nec tranſgreſſa eſt legem, parabimus illi locum & palatia argento plena, atque in illius ſemita deambulabimus. *Quod ſi ianua eſt*, ſi non ſeruauit mandata, ſed ſe proſtituit omnibus, arctabimus ſuper eam, prohibebimúſque ne ad nos veniat. Reſpondet ipſa & ait,

10 *Ego murus*. legem meam cuſtodiui, tam quæ ſcriptis conſignata eſt, quàm quæ ore tradita. *Mammæ meæ tanquam turres*, fuerũt illi (Sponſo). Tunc erunt omnes Iſraëlitæ in pace.

11 *Vinea fuit Salomoni*. nempe Iſraëlitæ, quibus omnibus imperauit Salomon. *In Baal Hamon*, nam totus Hamon *, id eſt, populus illi paruit. ipſe verò cò rediit vt vineã traderet cuſtodibus, regibus Iſraëlis. *Mille argentei*, decem tribus quæ habuerũt cuſtodes (non reges naturales). Singuli centum argentei ſingulas tribus indicant.

12 *Vinea mea*, Spiritus Sancti numine præ-

* Hæc dicuntur de Iudæis clauſis, de quib9 Hiſtoria cuiuſdam Eldadi à nobis verſa.

* Tribus Ruben & Gad & dimidiã Menaſſis, quas abduxit Teglat phalaſar. 4. Reg.

* 12. Tribus

dicit Salomon totam hãc vineam,quę olim fuit, iterum de integro ſub ſuam ditionem venturam. *Mille tibi Salomon,* dicetur Chriſto qui eius eſt filius & vocatur Salomon. *Mille tibi* Selomó reddunt, nempe decem tribus. Iuda autem & Beniamin quæ per ducenta intelliguntur, iam ceſſerunt cuſtodientibus fructum vineæ ſeu poſteris Dauidici generis.

13 Reſpondens diuina maieſtas, ô quæ habitas, inquit, in hortis,ô Eccleſia Iſraelica, quàm expetunt angeli audire Cantica tua? cui Eccleſia, ſi tibi ita videatur dilecte mi, *Fuge* ab angelis & deſcende *Ad montes*
Pſal.133. *aromatum*,ad mõtes Sionios. Ibi enim Dominus mandauit benedictionem & vitam ſemper duraturam.

COMMENT. R. INNOMINATI.

1 QVis mihi det te fratrem meum, vtinam fuiſſes mihi frater,quia oſculata fuiſſem te vbicunque mihi occurriſſes, neque deſpicerent homines me. Solent enim homines deſpicere amicam, quę palam & publicè amicum oſculatur.

2 *Ibi me docebit*.Mater mea docuiſſet me, quo modo oſtendere deberem tibi amorem meum.

3 *Læua eius ſub capite meo*, nunc in tertia, nunc in ſecũda perſona de dilecto loquitur.
4 *Adiuro vos.* alloquitur amica ſocias. Adiuro vos ne excitetis amorẽ, quouſque ipſe velit euigilare per ſeſe. Nam dum recordor amoris, ego animo langueo.
5 *Quæ eſt iſta quæ aſcendit*: ſemel amicus amicam reperiẽs in deſerto, ſic eam affatus eſt. Quænam eſt iſta, quæ aſcendit è deſerto. *Innixa.* vox Hebræa pro loci opportunitate exponi debet, innitens ſiue fruens dilecto ſuo. Reſpondet autem dilecto, aítque, *Sub arbore pomo* inueni te à principio, cùm amor noſter cœpit, *Genitrix tua*, quæ te peperit. q. d. neſcio quod me tibi temperat aſtrum, in ſydere amoris mei genitrix te enixa eſt, & perferens tormina te peperit.
6 *Lampades eius*, רשפיה *Reshaphéha* carbones eius. *flammæ Dei*. q. d. flammæ ingentis & violentæ. Et ſic ſcriptura, dum vult exaggerare ſentẽtiam, adiungit dictionem, Dei vocabulo. Hic locus exemplo eſt. Sic, caligo Dei in Pſalmis. Robuſtus venator corã Domino, in Geneſi, Domine iuſtitia tua ſicut mõtes Dei apud Dauidem. Vrbs magna Domino, in Iona.
8 *Soror nobis parua.* Semel aliquãdo, inquit dilecta ſociis, dixit dilectus ſociis ſuis, Soror

vna est nobis quæ est paruula. loquebatur
autẽ de me, quæ ipsius sum dilecta. Adhuc
autem parua est & vbera non habet. *Quid
faciemus sorori nostræ in die quo sermo fiet cum
ea*.q.d. Timeo ego ne fortè homines eã de-
cipiant, vt cùm creuerit, loquãtur ad ipsius
† cor & affectum, decipiántque eam.

† Vota, libidinem.

9 *Si muro est* indigens, ædificemus super
eam murum argenteum. *Et si ostio* ipsa in-
diget, firmemus super eam tabulam cedri-
nam, נצור *Natsúr* sumitur, vt cũ עיר נצורה
Ir netsura, ciuitas munita dicitur.

10 *Ego murus*, innotuit mihi quod dicebat
dilectus meus de me, & respondi illi: Ego
murus & vbera mea sicut turres. q. d. ma-
gna sum, & ecce vbera mea grãdia sunt si-
cut turres, & tamen ego similis sum muro
forti & validior quam vt persuadear ab aliis
præter te. Túmque fui in oculis ipsius, vbi
sic respondissem, velut inueniens pacem.

11 *Vinea fuit Salomoni*. Verba dilecti. Vi-
neam habuit Salomon Rex in Baal Ha-
mon. dedit autem vineam custodibus mer-
cenariis, vt eam seruarent & comederent
fructum eius, afferentque in mercedem
fructus ipsius mille árgenteos.

12 Verũ nolo egò sic facere, sed vinea mea
corã me est, nolo ego seruare eam, & edere

fructum ipſius. *Mille tibi Salomon*, Mille argentei, ait dilectus, quos refers è locatione vineæ tuæ, ſint tibi. Non mihi placet talis merces. *Et ducenti* cuſtodibus fructus eius. Qui dederint mihi mercedem pro eſu fructus vineæ meæ, ſibi illam habeant, talis locatio mihi non eſt collibita, vt dem vineam meam alienis.

13 *Quæ habitas in hortis*. dilectus dilectam affatur, ô dilecta mea, quę habitas in hortis, cuius vocem ſocij optãt audire, fac audiam vocem tuam, ac oſtende mihi amorẽ tuum.

14 Reſpondet dilecta, *Fuge dilecte mi*, nunc ſuper montes aromatum, qui ſunt in loco ſolitario, ac ibi audire faciam te vocem meam, & oſtẽdam pulchritudinem meam. Nam locus hic eſt publicus, in quem multi conueniunt.

Finis Cantici Canticorum & Commentariorum ipſius multiplicium.

DEO LAVS, HONOR, GLORIA.



1-6-2